DICENDI GENUS TACITINUM QUATENUS DIFFERAT A LIVIANO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS UNA CUM THESEBIUS

DIE XXIII. MENSIS IULII A. MDCCCLXXXVIII

HORA XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS PETZKE

BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

P. STERNKOPF, STUD. PHIL.

J. DOMANSKY, STUD. PHIL.

REGIMONTI

TYPIS LIEDTKIANIS.

MDCCCLXXXVIII.

PARENTIBUS CARIS

D.

Quo sermone excellat rerum aliquis scriptor, eum non ex scriptore solo, sed magnam partem e consuetudine et moribus aetatis eius, qua quis scripserit, iudicandum esse cum inter omnes constat, tum maxime est consentaneum. Neque enim quisquam, quamvis doctus sit vel proprius et suus, ab aetatis suae ratione voluntateque adeo liber et solutus incedit, ut non eas cogitandi aut dicendi leges, quas animo et cogitatione conceperit sibique constituerit, aetatis suae beneficio assecutus sit. Id quod in historicis haud minime apparet. Quemadmodum enim rerum gestarum scriptor, quippe qui legentibus exempla proponere velit aut ad imitandum aut ad cavendum, consilium suum exsequi poterit, nisi ad animos et mentes eorum, quos docere vult, ea, quae editurus est, accommodans? Persuasum enim habeo unumquemque, qui magnum aliquod et grave sibi proposuerit, nisi ingenio suo et indole vehementer permovere homines sui temporis non posse. Ingenium autem et indolem scriptor, quoniam scribendo tantum legentium animos advertit, ipso genere dicendi optime, ne dicam unice, ostendit. Ut igitur, quid Tacitini, quid Liviani generis dicendi proprium sit, penitus perscrutemur, temporum, quibus uterque scriptor fuerit, prima nobis habenda est ratio. Deinde, quae ab utroque memoriae prodita sint vel tempora vel res gestae, negle-

genda non sunt; nam vel necopinante invitove scriptore aliter describuntur magnae res, aliter parvae, laetissima tempora aliter, aliter tristissima. Sed quae modo diximus, quasi aliena et extrinsecus assumpta sunt: maximi in hac quaestione momenti est utriusque ingenium; in eo enim potissimum conspicitur singulare dicendi genus. Namque magni ingenii scriptor eo maxime elucet, quod non tam se ad opinionem hominum accommodat quam hominum opinionem ad se, vel, ne longus sim, eo quod orationem suam vinculis illis temporum et rerum magis magisque liberare et ad se ipsum tamquam ad solam normam dirigere studet.

Ut igitur de temporibus primum videamus, fieri profecto non potuit, quin, cum omnium animi ingenti illo motu concuterentur, quo commutata est rei publicae forma, lingua quoque immutaretur, ita ut novis rebus conveniret. Atque tunc homines, Graecorum maxime litteris artibusque induti, id imprimis operam dederunt, ut soluto priscae consuetudinis vinculo maiorem in libertatem se vindicarent sibique ipsis quam maximam facerent copiam suum acumen ostentandi et artificiis antea inauditis legentium animos allicerent. Quo factum est, ut excitaretur studium quoddam venustam elegantemque reddendi orationem, haud raro rebus neglectis prae dicendi arte; praesertim cum potentia omni ad unum delata plurimi de communi vita securi non iam erigerentur magnis eximiisque virtutibus, quae in scripta redundare possent. Et quamvis amplificaretur atque excoleretur lingua Latina multorum, qui in litteris summa cum laude versabantur, praeclara opera, tamen priscae illae et simplices liberae rei publicae leges oblivione obruebantur et alieni ab illis mores in linguam inducebantur, velut studium atque amor cum ad Graecorum orationem artissime se applicandi, tum in purum sermonem urbanum recipiendi ea, quae provinciarum erant. Illa aetate T. Livius rerum scriptor exstitit. Qui novae arti eo quidem obstitit,

quod sincero candidoque sermone historiam ornavit[1]) et summo cum studio optimos latinitatis auctores, eosque oratores, coluit, quorum dicendi genere se ipsum imbuere etiam atque etiam cupivit aliisque, ut idem facerent, praecepit. Epistula enim ad filium scripta ‚legendos Demosthenem atque Ciceronem' commendavit, ‚tum ita ut quisque esset Demostheni et Ciceroni simillimus.'[2]) Attamen eidem contigit, ut multa, neque ea levia, e novo tempore ipse sibi assumeret. Abundat enim locutionibus ad Graecum morem conformatis; quod, qui librum a Kuehnastio de syntaxi Liviana scriptum perlegerit, is continuo mihi concedet. Porro haud ita raro nova atque insolentia verba et structuras promit; quin etiam, si veterum testimoniis credimus, dicendi proprietatem quandam exhibet vituperatione non vacuam. Appellavit eam Asinius Pollio patavinitatem,[3]) neque tamen dixit, quae ea sit patavinitas. Haec igitur quaestio usque ad nostra tempora viros doctos vehementissime agitavit rationibusque diversis soluta est. Ut eos praeteream, qui denotatum putarunt studium quoddam partium publicarum vel municipalem quandam et e scholis desumptam rationem historiae scribendae, cum e Quintiliani locis modo allatis luce clarius colligatur artem dicendi significasse Pollionem: primus Livii causam, ut omnibus notum est, D. G. Morhofius suscepit.[4]) Post eum multi, qui de hac re egerunt, vel de proprietatibus quibusdam cogitaverunt ad orthographiam pertinentibus, vel de Graecis aut e Gallica lingua tralatis vocabulis atque structuris, velut nuper etiam Wiedemannus[5]) in graecismis qui dicuntur acquievit. Haec vero omnia probari non possunt; nam nisi Asinius Pollio nemo veterum in patavinitate offendit.

---

1) cf. Quintilianum, inst. orat. X, 1, 101.
2) vide Quint. inst. or. X, 1, 39.
3) cf. Quint. inst. or. I, 5, 56. VIII, 1, 3.
4) in libro, quem de patavinitate Liviana scripsit Kiliae 1685.
5) in quaestione de patavinitate Liv. instituta.

Immo a crimine illo Livium defendere aliquantum videtur Quintilianus, qui inst. or. I, 5, 56 dicit, quemadmodum Pollio deprehendat in Livio patavinitatem, licere omnia Italica pro Romanis habeat; neque minus Tacitus Agr. c. X eloquentissimum veterum auctorem Livium fuisse iudicat. Praeterea, quid Asinius senserit, tam ambigue Quintiliani verbis indicatur, ut inde vix unquam aliquid certum ac constans percipi possit; nisi forte id statuitur, intellegendum esse usum linguae paullo liberiorem et tenuem quendam orationis colorem, cuius pertaesum sit Pollionem, hominem eruditi et urbani ingenii. Denique ne illud quidem obliviscendum est, haud ita integrum et incorruptum fuisse Asinii iudicium, quippe qui senex esset morosus graviterque ferret totum temporis sui morem et rationem. [1]) Quae cum ita sint, negari non potest, quamvis adamaverit Livius aureae quae dicitur aetatis scriptores imitandosque sibi proposuerit, tamen ad argenteam aetatem haud pauca, ab eodem usurpata, esse referenda; id quod confirmant cum poeticae locutiones, quibus saepius delectatus est, tum vocabula quaedam vehementia, quibus saepius indulsit, ubi simplicibus uti poterat.

Contra Tacitus totus argenteae linguae Latinae est aetatis. Quae cum magis magisque degeneravisset a more et consuetudine optimis scriptoribus accepta, ante omnia numerum oratorium periodorumque concinnitatem, quibus rebus Cicero inter ceteros floruerat, consulto respuit; displicebant enim ea tamquam uniformia et usu vulgata et molesta. Sententioso autem dicendi genere capti homines inciderunt orationem, quam maxime poterant, brevesque et argutas sententias reddiderunt etiam particulis raro adhibitis, quibus antea sententiae quasi firmiore vinculo contineri solebant. Accidit igitur plerisque, ut oratio in minuta enuntiata dilaberetur, quae

---

[1]) cf. Gellium in noct. Att. I. 22, 19.

novitate sententiarum et lepore quaesito ac nimio legentium animos tangerent. Quod ut facilius assequerentur, variis artificiis orationem exornare coeperunt et ad verborum dulcedinem suavitatemque tantam processerunt, ut materiam in dies minus accurate eligerent neque recusarent ineptissimam aut ab rerum usu remotissimam, dummodo formae artificia adhibere liceret. Hanc inanem dicendi artem qui magnam partem ex inani vita ortam esse existimabit, minime falletur. Vita enim civilibus negotiis soluta summarumque rerum cura et gloria destituta magnam arti oratoriae materiam, quae magnis consiliis ac virtutibus animos moveret, subicere non iam poterat; itaque in ipsa dicendi arte colebantur et diligebantur inania fere ac vana omnia. Et ut exemplo utar, cum scriptores tum poetae, ut sui admirationem excitarent, mutata forma orationis eandem sententiam repetere solebant, cum brevibus dicere satius esset; vel in verborum lusibus immoderatis atque ineptis totam sententiae vim ponebant, ita ut saepe unius syllabae litteraeve discrimine res, de quibus ageretur, diversae efficerentur; vel in alias figuras inutiles molestasque deferebantur. Atque eloquentia quoniam in summa semper laude fuerat, tunc temporis homines litteris eruditi ad declamationum studia totos se conferebant eisque, quae fori actionibus primo continerentur, mox omnia litterarum genera, historiam, philosophiam, ipsam poesin corrumpebant. Neque tamen in peius adeo mutatum aut inertia obrutum saeculum erat, ut deessent, qui pravam illam atque detortam consuetudinem perosi in melius restituere dicendi artem et cuperent et intenderent. Qua in re qui novo dicendi genere gavisi, magnis et narratione dignis rebus exornare volebant orationem, velut Lucanus et L. Seneca, haud multum profecerunt; nam impetum verborum et orationis virtutem consulto quaesitam cum non aequarent res, illis animi hominum erigi non poterant. Alii vanitatem aversantes, velut

Plinius maior, operam suam spreta omni orationis arte in solis rebus collocabant; ne hi quidem prosperius, qui taedium hominum effugere non possent: nam uniformem et putidam dicendi consuetudinem eorum evadere utique oportebat. Alii rursus liberae rei publicae linguam desiderantes ad veteres scriptores se convertebant, ad quam unicam normam se ipsos accommodarent. Quod et multos alios egisse et Tacitum, priusquam historiae se daret, notum est. Nam nunc, opinor, dubitari non iam potest, quin dialogus de oratoribus qui inscribitur Taciti habendus sit, praesertim cum Woelfflinus v. d. argutissimas commentationes de hac re in Philologo, vol. XXV et XXVI ediderit.[1]) In illo autem libello Tacitum constat imitandum sibi sumpsisse Ciceronem, qui Quintiliani potissimum auctoritate commendaretur. Hactenus tempori suo Tacitus paruit. Quoniam autem ne in Dialogo quidem opprimere poterat ingenium suum, quod in viam longe aliam ducebat, et hoc ipso libello multo minus ad classicos scriptores quam Livius accedebat:[2]) aetate iam provectus cum maiorem materiam tractandam susciperet, multo magis proprius suique similis factus novum plane dicendi genus effinxit, quod et prisci et sui temporis particeps neutri obnoxium erat, sed ex utriusque virtutibus compositum. Itaque ad ipsius aetatem pertinet, quod inaequalitatem enuntiationum praetulit concinnitati, quod acumine sententias ornare nunquam fere neglexit, quod brevitatem, quae interdum ad obscuritatem redacta sit, summo amore amplexus est, denique quod e Graecorum dicendi more multa in suum usum traduxit, neque minus e poetarum dictione,

---

[1]) cf. Walteri dissertationem de Taciti studiis rhetoricis scriptam. Ante omnia autem comparandus est Weinkauffius ‚de Tacito dialogi qui de oratoribus inscribitur auctore.' Bene etiam Haasius de hac re exposuit in praef. ed. T. p. XIV sqq.

[2]) cf. Teuffelium in litt. hist. Rom. § 257 a. 14.

potissimum e Vergilio. [1]) Priorum autem praecepta eatenus videtur sectatus esse, ut certum quendam modum nunquam excederet. Etenim etsi veteribus et inter eos Sallustio permulta debuit huiusque immortalem velocitatem et brevitatem assequi magnopere studuit, tamen ea ipsa in re summam moderationem adhibuit eaque sola elegit, quae in sui stili leges convenirent. Namque constanti norma certisque legibus cave credas orationem eius indigere, quae tum numero quodam praecipuo, abhorrente quidem illo a Ciceroniano, tum summa perspicuitate in apta et verborum et sententiarum compositione excellat.

Sed haec hactenus de temporibus; nunc inquiramus, quae tempora et res gestae quoque consilio ab utroque describantur.

Et primum quidem Livius summo studio persecutus civitatis varios casus historicisque Romanorum litteris penitus imbutus, profecto intellexit, quam non consentirent quae priores scripserant cum magnitudine gloriaque rerum Romanarum. Itaque, ut ipse praef. § 3 denotare videtur, quae maiores praeclare atque magnifice gessissent, sincera cum fide et cum dilucida, pulchra dignaque oratione memoriae prodere constituit, eo maxime consilio, ut corruptis et depravatis aequalibus persuaderet virtute ac fortitudine, iustitia ac pietate Romanos omnium gentium imperio potitos esse. Qua re exempla hominibus proponere voluit, quibus perditi eorum mores emendarentur. Nam de religione nondum desperaverat, immo deos adesse cum civitati tum privatis, adiuvare omnibus rebus bonos et religiosos homines, pessumdare malos et nefarios etiamtum confidebat; id

[1]) cf. quae Boetticherus (in lex. Tac.), Grysarius (Andeutungen über die Eigentümlichkeiten in der Darstellung und Latinität des T.), Goebelius (de poetico Tacitei stili colore), Draegerus (Syntax und Stil des T.) de hac re tradiderunt.

quod multis librorum eius locis probatur. [1]) Cum igitur benevolo animo magnos et generosos viros laudaret, sperneret crudeles atque inhumanos, miserorum adflictorumque casibus commoveretur, fieri non potuit, quin genus dicendi fingeret, quod alacre et hilarum, florens et splendens, sincerum et simplex oblectaret semperque caperet legentium animos.

Aliud Tacitus sibi elegit, qui non ad omnes res Romanas tradendas se contulit, certa tantum parte contentus; scripsit enim historiam rerum sub imperio Juliorum Claudiorumque et Flaviorum gestarum. Hanc autem servitutis Romanae memoriam esse ipse videtur existimasse, cf. quae Agr. c. III extr. dicit. Quae lene cepit initium iam a pugna Actiaca, cum plurimi civium taedio assiduorum civilium bellorum adfecti libertatis nullam fere curam haberent, sed Augustum paterentur omnia in se trahere magistratuum munia et in dies magis consuescerent otii dulcedine delectari, sibi potissimum consulere, principi obtemperare. Sic parabantur omnium animi ad tolerandum illum civitatis statum, ubi Juliae gentis principes in impotentem dominationem versi cives omni modo vexarent, cruciarent, pessumdarent, variis libidinibus exercitarent, nihil aliud validi relinquerent quam exercitus. Jam secutum est Flaviorum imperium, quod varia sorte laetum rei publicae aut atrox, ipsis principibus prosperum vel exitio fuit; [2]) quod expertus Tacitus oblivisci nunquam potuit gravissimorum illorum et tristissimorum Domitiani temporum, qui caedis avidissimus ultima crudelitate in omnes saeviret. Itaque cum rei publicae ruinam molestissime ferret, de mutatione temporum plane desperavit Tacitus, quippe qui perspexisset servilia civium ingenia adeo repudiare libertatem, ut in eis spei nihil ponendum esset. Neque eum

---

[1]) v. e. c. XXI, 10. XXX, 42, 21. XLII, 28, 12.
[2]) v. Hist. II, 1.

fugit salutem civitatis nisi a principe exspectari nullam posse; describere igitur voluit, principatus quemadmodum ab initiis post pugnam Actiacam usque ad summum fastigium Nervae ac Traiani temporibus pervenisset, qui quidem res olim dissociabiles miscuissent, principatum ac libertatem, auxissentque cotidie felicitatem temporum. Tristissimis autem temporibus ad describendum electis id egit, ut moneret et principes et cives, ne in talia vitia sceleraque irrumperent, ipsa eorum, qui hoc fecissent, pernicie ante omnium oculos posita. Eo accedit, quod Tacitus constanter credebat hominum vitam, sicut praestituta esset, evenire neque deos humanarum rerum ullam habere rationem, sed immoto animo, nec propitios hominibus neque iratos, fato obsequi, ‚aequitate', ut ipse Ann. XVI, 33 dicit, ‚erga bona malaque documenta.' Quibus rebus factum est, ut genus quoque dicendi, quod adamavit, triste aliquod et severum habeat, austerum et maestum, insolens et concitatum, quod apprime convenit ad noviciam dicendi artem. Hanc consulto Tacitus impetu etiam maiore instruxit, ita tamen, ut semper cum verbis res consentirent impleretur que nova ars amplissima dignissimaque materia.

Sed iam tertium illud attigi, de quo supra [1]) dixi disserendum mihi esse. Quod noli mirari; neque enim ingenium ita acriter diiungi potest a temporibus, quibus nutritum educatumque sit. Ad inceptum igitur redeo et, quoniam de Taciti ingenio pauca modo praecepi, de illo primum exponam.

Est quidem Tacitus vir gravis et severus, elati animi, maestitia libertatis amissae priscaeque disciplinae desiderio vehementer commotus, praesentis servitutis morumque lasciviae summo odio adfectus, mutationis spe et deorum fide destitutus, detestans vile vulgus, neque tamen generosis hominibus obtrectans, sed ira quadam

---

[1]) v. pag. 6.

atque indignatione hominum et rerum incitatus pessimaque omnia futura praesentiens. Quae omnia stilo eius paene ad vivum expressa esse iudicabis. Nam stilus quoque Tacitinus severus est ac gravis, incitatus atque magnificus, altis rebus indulgens, abhorrens ab humilibus, dolore quodam et amaritudine infectus. Itaque summo iure brevitatis Tacitus studiosissimus est, nam viri severi orationem brevem esse oportet. Apparet autem haec brevitas non eo, quod vocabula, quae vix quis desideret, scriptor omittit; idem enim ad amplificandam orationem et in maius tollendam dicendi copia et ubertate uti non dubitavit, neque solum in scriptis minoribus, sed etiam in Historiis atque Annalibus [1]: sed id potissimum agit, ut gravissimam tantum sententiam aperte pronuntiet, cetera levius significet, quo acrius et intentius legentes, quid dicere velit, ipsi studeant divinare; id potissimum, ut vocabula summo semper acumine ornet; ut ea verba easque constructiones praeferat, quae plenarum sententiarum vice fungantur, velut substantiva verbalia, participia, sententias participiis confectas; denique ut adsciscat eas orationis figuras, quae brevitatem spectent. Neque aspernatur velocitatem, praesertim quae e brevi oratione tamquam sponte oriatur: huc pertinent membra sententiarum per asyndeton continuata, particulae transitionis omissae, res contrariae nude positae. Tenendum autem est nunquam tanto velocitatis studio Tacitum flagrasse, ut laederet orationis dignitatem; quae semper ei fuit summa atque prima dicendi lex. Accedit ad brevitatem aliud, ipsum ex ingenio Taciti explicandum. Ut enim scriptor pristinae morum severitatis ac disciplinae, quam propter hominum inertiam restitui non posse haud ignorabat, dolore distinebatur et flagranti quodam desiderio, sic stilus hilaritatem et splendorem

---

[1]) cf. Woelfflinum in Philol. vol. XXV, p. 107, Spittam (de Taciti in componendis enuntiatis ratione), alios.

respuit, in se recepit dissimilia et inter se discrepantia. Etenim membra sententiarum pari loco et potestate posita Tacitus forma rarissime aequalia reddidit, quaesivit inaequalitatem, ita ut alia aliis verbis declararet variisque in eadem sententia uteretur vel verbis vel grammatica structura. [1]) Nihilominus omnia illa discrepantia tam arte inter se iuncta sunt et tantopere coaluerunt, ut unum fere corpus et totum et simplex conficiant. Quod quamvis summa arte perfundere Tacitus intenderit, tamen in oratione eius nusquam contorti aliquid aut exaggerati perspicitur; namque abundat scriptor mente et animo et scribendi facultate, quae orationem facillime ei suppeditent.

Sed grave illud stili Tacitini vel *σεμνόν*, cuius Plinius ep. II, 11 mentionem fecit, etiam inde cognoscitur, quod scriptor saepissime poetarum ditcioni quam proxime appropinquat. Incitatum enim et grandem eius animum capi quam maxime oportebat interioribus illis ac reconditis poetarum vocibus; [2]) et eo magis, quod in solutam tunc temporis orationem multa irrepserant vulgaria et levia, quae tamquam indigna ingenio suo repudiavit Tacitus. Facillime autem ad poetas potuit aggredi, quia non multo ante floruerant Augustei aevi poetae, quorum dicendi artem totam fere suam fecerat aetas Taciti; itaque factum est, ut Tacitus, quamquam permulta e poetico sermone in suum usum transferebat, tamen offenderet, neminem. Neque vero, ut ultimum addam, praetereundum hic est proprium aliquid Tacitinae orationis, quod non ad certam quandam partem referri possit, sed omnes penetraverit. Cernitur illud eo, quod scriptor in narrando, quamvis operam det,

---

[1]) De qua variatione Tacitinae orationis optime, quoad videre potui, disputavit Woelfflinus v. cl., vide Philol. XXV, p. 121 sqq.

[2]) cf. quae de eis praedicantem facit Maternum in Dial. c. 12.

tamen nunquam fere celat, quid ipse sentiat; hoc autem aperte nunquam dixit, sed levibus verbis additis vel tenui colore inducto legentibus inculcavit neque acquievit in recto illo veterum, sed obliquis quae dicuntur sententiis unice delectatus est.

Satis dictum est de Tacito; nunc ad Livium vertamur. Qui erat animi ingenui, poetico quodam sensu imbutus, mentis summa vi instructus ad res praeteritas accurate percipiendas distincteque exprimendas; quid liberale esset et sincerum, quid decorum et elegans, perspexerat, admiratione virtutis ac pietatis maiorum summa semper tenebatur. Laeto igitur et alacri animo tradendam priscorum temporum memoriam suscepit, singulari adiutus acumine, quo naturam mentis humanae optime intellegebat et scrutabatur, quae homines cogitassent, quae metuissent, quae voluissent. Tamen in abditis illis sensibus diiudicandis mira utebatur lenitate et humanitate, quae recti honestique amore nunquam deserebatur. Quamobrem fieri non potuit, quin Livius, praesertim qui incunde ac venuste scribendo detinere vellet legentium animos, in excolenda dicendi forma summam poneret industriam. Raro enim simpliciter et nude res gestas ita narrat, ut intellegantur tantum, plerumque ita exornat, ut placeant. Neque solum perspicuitas et sublimitas orationis in eo laudanda est, mira iucunditas clarissimusque candor, quae diserte agnoscit Quintilianus [1]), sed etiam maxime lactea illa ubertas, quam velocitati et brevitati Sallustianae Quintilianus opponit. [2]) Quae perspicitur cum in copia verborum et sententiarum et in grammaticis iuncturis atque in figuris orationis, velut in pleonasmo, synonymis, polysyndeto, anaphora, tum in dilucida hominum rerumque descriptione. Neque, ex qua orta est ea ubertas, admirabilis ingenii aut orationis vis unquam in tanto

---

[1]) inst. orat. X, 1, 101.
[2]) inst. orat. X, 1, 32; cf. ib. IV, 2, 45.

librorum ambitu languida fit, etiamsi temperatur et submittitur in rebus levioribus, altius erigitur cursuque sublimi fertur in gravioribus. Itaque Livio contigit, ut assequeretur verborum rationem et genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens, quod in historia persequendum esse Cicero docet.[1]) Hoc dicendi genus cum prooaret et usurparet, neminem Herodoti, in quo omnia leniter fluerent, similiorem fuisse quam Livium testis est Quintilianus.[2]) Cui rationi optime convenit, quod Livius, quamquam variationem liberioresque verborum et sententiarum iuncturas interdum non aspernatur, tamen plerumque concinnitatem et compositionis ornamenta veteribus probata secutus videtur esse; id quod infra exemplis quibusdam figurarum orationis propositis confirmabitur. Neque facile quisquam reprehendi poterit, si iudicabit medium fere intercedere Livium inter auream et argenteam linguae Latiane aetatem et, sicut dictio eius quam proxime accedat ad ea, quae Cicero praecipiat[3]), ita eandem haud paucorum posterioris temporis praeceptorum participem esse. Orta autem est haec consuetudo sine dubio ex intima Livii mente, qui tunc temporis nequitia nondum adflictus neque in diversos sensus distractus, cum gaudio atque admiratione magnas a maioribus res gestas respexit, quibus se ipsum et alios recrearet.

Restat, ut nonnulla promantur de rhetorico Livianae orationis colore. Quamquam infitiandum non est dicendi genus magna ex parte poetici simile Livium effinxisse, quippe qui poetico sensu adfectus multas res tractaret, quae vel ipsius poesis essent vel poesis similes, tamen rhetorum morem multo minus est aversatus. Etenim iuvenem eum haud mediocriter in rhetorica versatum esse

---

[1]) de orat. 2, 15, 64.
[2]) inst. or. X, 1, 101.
[3]) de orat. 2, 15. orat. 20.

cum ex multis veterum testimoniis cognoscitur, qui praecepta adferunt a Livio de studiis rhetoricis data,[1]) tum ex ipso dicendi genere. Quod haud raro e simplici et sincero artificiosum factum est et speciosum, ita quidem, ut homines vel res, quae describerentur, clariore quodam perfunderentur lumine et vehementius permoverent legentium animos. Itaque orationes a Livio narrationi interpositae summis semper laudibus celebratae sunt a veteribus, optimo iure; virtutem enim et praestantiam animi Liviani luculentissime produnt. Tamen etiam atque etiam monendum est nonnunquam, neque solum in orationibus, rhetoricae aliquanto studiosiorem fuisse scriptorem, ita ut materiam prae dicendi forma neglegeret artificiisque oblectaretur ad dignitatem orationis minime necessariis. Quod sibi persuadebit, quicunque perlegerit, quae infra de vitiis quibusdam generis dicendi exposuimus.

Jam ut ad singula veniamus, eas dicendi proprietates elegimus tractandas, e quibus discrepantia Tacitinae orationis et Livianae clarissime possit intellegi; agemus igitur primum de brevitate dicendi, deinde de ubertate, tum de variatione, cui tamquam appendicem de vitiis quibusdam generis dicendi pauca addemus.

Et primum quidem dicendi brevitatem constat quam maxime apparere in ellipsi quae dicatur orationis figura. In qua usurpanda quamquam valde discrepat Tacitus cum Livio, tamen certa quaedam eius genera paribus uterque legibus usurpavit; itaque hoc loco ea tantum ellipsis genera tractabimus, quae, quibus rebus differat a Liviano dicendi genus Tacitinum, clarius ostendant. Et initium faciemus ab

Ellipsi praedicati.

Consentaneum est omitti facillime verbum substantivum; quod si unoquoque loco, quo poni debebat, pone-

---

[1]) cf. Quint. inst. or. II, 5, 20. ib. VIII, 2, 18. X, 1, 39; Senec. contr. IX, 25, 26. ib. 24, 14.

retur, orationem aliquanto languidiorem impeditioremque redderet. Qua de causa rerum maxime scriptores, quorum permultum intersit planam efficere orationem neque ambagibus rerum seriem impedire, illo verbo libenter carent. Atque Livius quidem ad hanc rem quasi caute aggreditur et anxie neque ita longe discedit a veterum consuetudine. Saepissime enim verbum substantivum omittit in enuntiatis primariis, aut cum tempore praesenti vel indicativo modo utitur. Qua re ut nonnunquam durior fiat oratio, velut 10, 17, 19, ubi participia cumulantur: tamen facillime et tamquam sua sponte haec ellipsis oritur a vivido et profluenti sermone. Multo rarius verbi substantivi ellipsin deprehendimus in enuntiatis secundariis; aut cum aliud verbi tempus vel modus alius cogitatione addendus est; e. g. 27, 5,9 ‚tertio decimo die quam profectus inde (sc. est), Lilybaeum revectus.‘ Porro primariorum fere vi secundaria illa enuntiata haud raro a Livio dicuntur, quippe quae id agant, ut continuent concludantque primariam aliquam sententiam, cui applicata sunt; incipere ea solent a pronomine relativo, in cuius locum particula ‚et‘ coniuncta cum pronomine demonstrativo cogitatione substitui possit, velut 10, 27, 4 ‚haec consilia turbarunt transfugae, qui dimissi cum donis‘ (sc. sunt). 44, 30, 1 ‚novique duces in provincias venerant, . . . Anicius in Illyricum, cui bellandum adversus Gentium‘ (sc. erat); ubi qua de causa aliter scribat Madvigius [1]) v. d , nescio. At saepenumero enuntiata, de quibus agitur, vere secundaria sunt, fortasse aliquis dicet. Sane; sed tum eorum aliquid proprium est, quo ellipsis levatur. Nam saepe quae sequuntur illam ipsam verbi formam, quae deest, nobis porrigunt; e. c. 22, 14, 3 ‚ut vero in extrema iuga Massici montis ventum (sc. est) et hostes sub oculis erant.‘ ib. 52, 5 ‚et praeter equos virosque et si quid argenti (sc.

---

[1]) in editione horum librorum prima; alteram in manibus non habui.

erat) — quod plurimum in phaleris equorum erat.' Videmus autem non solum praesens, sed etiam alia tempora omitti; quod cum primariis enuntiatis crebrius contingat, tamen in eis ipsis sequentia vel praecedentia formam verbi plerumque offerunt, velut praef. 11 ,nulla unquam res publica ditior fuit, nec in quam civitatem . . inmigraverint', i. e. nec ulla fuit civitas in quam inmigraverint. Itaque in eis, quae leguntur 1, 15, 6 ,haec ferme Romulo regnante domi militiaeque gesta, quorum nihil absonum fidei divinae originis divinitatisque post mortem creditae fuit', cur Kuehnastius [1]) praeteritum suppleri velit, equidem non possum intellegere; mihi quidem nihil aliud nisi praesens ,sunt' videtur supplendum esse. Etenim in capitibus, quae praecedunt, postquam scriptor enarravit, quae domi militiaequae Romulo regnante gesta sint, enarrationem finit illis ipsis verbis atque adicere coepit, quid ipse de Romulo rege sentiat. Quod tempore perfecto optime fieri nemo fere negabit, praesertim si secum reputaverit toto illo capite, de quo dicimus, tempora perfecta esse posita; itaque hic quoque rectius interpretabimur ,gesta sunt.' Sed ut ad praeterita revertar, e. c. adfero 24,36, 4 ,versumque ab Italia bellum, adeo uterque populus in Siciliam intentus (sc. fuit), fuisse videri poterat;' quo loco Madvigius edidit ,intentus fuit, videri poterat' secundum J. Bekkerum, in praefatione ad vol. II, p. XXVIII his verbis mutatam scripturam vindicans: ,Neque „fuit" abesse potest neque „fuisse" h. l. recte pro „esse" ponitur.' Weissenbornius v. cl. ad h. l. adnotat in epiphonematis apud Livium alias copulam deesse, v. 5, 10, 6; ceterum Bekkero assentitur pro infinitivo perfecti h. l. infinitivum praesenis exigi, et cum iudicet infinitivum ,fuisse' immertio separari a participio ,versum', fortasse scriptum fuisse putat ,intentus fuit, tum esse videri'; si scriptura codicum omnino mutanda

---

[1]) Liv. Syntax p. 277, l. 4.

est, verisimilius profecto quam Bekkerus. Quemadmodum enim fieri potuerit, ut pro vocabulo ‚fuisse‘ scriba quamvis neglegens ‚fuit‘ scripserit, difficile est intellectu; Weissenbornius quod coniecit, id perverse scribi multo facilius potuit, si litterarum similitudinem respicimus. Attamen mihi quidem omnino non videtur mutandum esse, quod habet codex Puteanus; nam neque collocationem verborum artis legibus Livius circumscripsit, [1]) neque si quid aliud substitueretur, congrueret legi de epiphonematis a Weissenbornio ipso ad h. l. latae. Jam inspiciamus 5, 36, 1 ‚mitis legatio, ni praeferoces legatos Gallisque magis quam Romanis similes habuisset‘, ubi utrum ‚erat‘ an ‚esset‘ supplendum sit, Kuehnastius [2]) in incerto reliquit. Sed ex ipsa verborum collocatione animadverti potest eis, a quibus incipiat sententiam, vim aliquanto maiorem tribuere Livium; cui consilio modum indicativum magis inservire apparet, eo enim adhibito multo certius pronuntiantur quae quis contendit.

Inveniuntur autem primaria quoque enuntiata, in quibus verbum substantivum ita omittatur, ut ex eis, quae sequuntur vel praecedunt, depromi non possit, testibus his locis: 5, 26, 9 ‚obsidio inde urbis et munitiones (sc. erant); et interdum per occasionem impetus fieri.‘ 23, 35, 3 ‚comparant. (sc. erat) Campanis omnibus statum sacrificium ad Hamas‘ Weissenbornius ‚erat‘ in contextum recepit, quoniam id tempus hoc loco, ubi non mera copula siit, deesse non possit. [3]) 35, 10, 4 ‚sed omnium oculi in Quinctium Corneliumque coniecti (sc. erant); nam et in unum locum petebant.‘ 44, 5, 1 ‚inenarrabilis labor descendentibus cum ruina iumentorum sarcinarumque‘ (sc. erat). Ceterum quae 39, 40, 1 le-

---

[1]) Kuehnastii synt. Liv. p. 315.
[2]) in synt. Liv. p. 277.
[3]) cf. eius adn. ad h. l.

guntur, ea huc facere contra Weissenbornium [1]) negaverim; ibi enim cum verbum ,exorta sunt' e primaria sententia facillime transferri possit in secundariam, necessarium non videtur verbi substantivi ellipsin statui. Loquatur locus ipse: ,alia maioris certaminis (comitia), quo et maiore de re et inter plures potentioresque viros, sunt exorta.' Sed hoc exemplo apposito in secundarias rursus sententias incidimus, de quibus supra iam levem fecimus mentionem; itaque de eis nunc exponere pergamus.

In sententiis igitur secundariis praeteritorum ellipsis temporum quotiescunque adhibetur, si nulla alia re levior fit, tamen sequentibus vel praecedentibus enuntiatis ea verbi forma, quae deest, continetur. Exempla praeter supra dicta haec habeas: 22, 20, 6 ,ubi vis magna sparti (sc. erat) ad rem nauticam congesta ab Hasdrubale. quod satis in usum fuit.' Weissenbornius et Madvigius ,erat' in textu posuerunt, ut mihi quidem videtur, iniuria. Licet enim praeteritum verbi tempus, nisi copulae vim habeat, deesse non possit, quod Weissenbornius ad 23, 35, 3 adfirmat: eandem ellipsin 22, 52, 5 ,et si quid argenti — quod plurimum in phaleris equorum erat' Weissenbornius intactam reliquit, quia statim sequatur ,erat' verbum. At eo quoque loco, quem modo diximus, 22, 20, 6, enuntiatum sequens exhibet verbum substantivum, alia quidem forma usurpatum; sed non omnibus locis eandem verbi formam, quae in altera sententia proponatur, in altera necessario esse supplendam videntur docere, quae exstant 22, 14, 3 [2]) et 45, 7, 2 ,praeterquam quod nec sua nec gentis fama comparandus (sc. erat), tunc accessio Punici belli fuerat, sicut Gentius Macedonici.' Sane haec sunt copulae omissae exempla; sed ne Weissen-

---

[1]) in adn. ad 35, 10, 5; atque ipse Weissenbornius in adnot. ad 39, 40, 1 sententiam mutavit et ,exorta sunt' suppleri voluit.

[2]) v. supra p. 19.

bornius quidem plane sibi constare videtur. Nam cum modo docuerit formam ‚erat', nisi copulae loco ponatur, omitti non posse, idem vir doctissimus 24, 36, 1 ‚erat' adiecit, quamvis in codicibus haec legantur: ‚forte ea cura, quae adversus Poenos praeparata, adversus Siculos usui fuit.' Attamen quin hoc loco mera copula desideretur, quis dubitaverit? Huc accedit, quod 1, 59, 2 etiam coniunctivus imperfecti deest; qui locus permirus Weissenbornium minime offendit.

Quae cum ita sint, id videtur constituendum, non ita esse premendum hac in re discrimen, quod intercedat inter copulam et verbum propria vi dictum.

Neque vero idem semper verbum, quod desideratur, sequentibus contineri oportet; sed etiam tum, cum aliud quod verbum sequitur intransitiva vi et eadem notione ornatum, quam habet passivum cum verbo substantivo coniunctum, omittitur verbum substantivum; e. g. 10, 33, 6 ‚eorum, qui circa quaestorium oppressi (sc. sunt), periere', quod idem est atque ‚interfecti sunt.' Nonnunquam sono quoque respecto Livius videtur verbi auxiliaris ellipsin comprobasse, cum rebus copiosius enarratis clausulam vellet apponere. Quae ne efficiatur verbo monosyllabo neve ita legentium aures perstringat, mavult per ellipsin loqui; velut 26, 39, 23 ‚frumenti spes, quae in oculis fuerat, utrosque frustrata pariter' (sc. est). 24, 4, 5 ‚haec mandata' (sc. sunt). 8, 17, 12 ‚haec eo anno domi militiaeque gesta' (sc. sunt). 10, 43, 9 ‚sic ad Cominium, sic ad Aquiloniam gesta res' (sc. est).

Hucusque indicativi tantum modi rationem habui; venio nunc ad ellipsin aliorum verbi modorum. Et primum quidem coniunctivi ellipsis certis quibusdam locis non ita validis codicum testimoniis nititur. Namque 22, 31, 11 in Puteano sic legitur: ‚pro dictatore caederetur', neque alii codices melius quidquam exhibent; itaque lectionem ineptam Weissenbornius correxit, ut scriberet ‚pro dictatore fuisset, dictator crederetur.'

Nihilo magis 44, 4, 4 Vindobonensis codicis scriptura ‚concursum abellisin loci‘ servari potest; itaque Weissenbornius edidit ‚concursum ab illis, si loci‘, quae simpliciora profecto multoque verisimiliora sunt quam Madvigii quaesita illa: ‚concursuri abiere, si loci . . . . fuisset‘. [1]) Tantopere enim recedere a libris, ut evites coniunctivi ellipsin, omnino non necesse est, cum alia eiusdem usus exempla multa sint, quorum haec adferre sufficiat: 2, 23, 5 ‚sciscitantibus, unde ille habitus, unde deformitas (sc. esset), cum circumfusa turba esset.‘ 4, 53, 13 ‚et tanquam haud dubius inter tribunos militum honos Menenii (sc. esset), si peteret, consularibus comitiis est exclusus.‘ 3, 26, 5 ‚tanta trepidatio fuit, quanta (sc. esset), si urbem, non castra hostes obsiderent.‘ 8, 25, 12 ‚cum quanto studio reditum esset, quam qua stultitia et temeritate de officio decessum‘ (sc. esset). 9, 5, 6 ‚quorum temeritate deducti essent, quorum ignavia abituri‘ (sc. essent). 23, 10, 10 ‚ne offendendi sibi novi socii (sc. essent), aut habendus Capuae esset seditionis ac turbarum auctor.‘ ib. 43, 11 ‚expertis, quam grave Romanum imperium sociis (sc. esset), quanta indulgentia Hannibalis etiam in captivos omnes Italici nominis fuisset.‘

Nude ponitur coniunctivus, ita ut suppleri non possit e proximis enuntiati partibus eadem vel similis verbi forma, hisce locis: 1, 59, 2 ‚stupentibus miraculo rei, unde novum in Bruti pectore ingenium‘ (sc. esset); ubi notanda est vis verbi deficientis, quod non auxiliare sit, sed proprio sensu usurpatum. 22, 44, 7 ‚ut, quibus lingua prompta ac temeraria (sc. esset), aeque in pugna vigerent manus.‘ 26, 27, 6 ‚edixit, qui, quorum opera id conflatum incendium (sc. esset), profiteretur.‘ Ad

---

[1]) In editionem Weissenbornii alteram, quam curavit H. J. Muellerus, ex Vahlenii coniectura recepta sunt: ‚infestius concursum** de summa belli,‘ quae non minus artificiosa videntur.

quem locum cur Weissenbornius [1]) adnotet dubium esse, utrum a Livio ipso an a librariis ‚esset‘ forma omissa sit, equidem ignoro; nam is locus, quem conferri iubet vir doctissimus, plane aliter comparatus est, ideo quod ibi scriptura manifesto perversa exhibetur. 30, 35, 9 ‚tum, ubi omnis spes (sc. esset), milites Carthaginienses Afrosque‘ coniunctivum ‚esset‘, quem nisi recentiores codices non praebent, Madvigius contextui inseruit; idem Weissenbornius fecit. [2]) Sed quod Madvigius in praefatione p. XXV excusat ‚omitti verbum imperfecti temporis et coniunctivi modi non potuisse‘, ea librorum scripturae mutandae ratio neque probabilis est, neque quae dicit vir clarissimus, satis vera sunt, ut ex eis, quae modo exposui, affatim elucere arbitror. Idem Weissenbornio obstat, qui censet formam ‚esset‘ hoc loco nisi cum duritia quadam deesse non posse. Plane autem contra codicum auctoritatem Weissenbornius et Madvigius, argumentis parum potentibus permoti, coniunctivum addunt 42, 5, 3 ‚ut, quae sub dicione eius urbes, nullius liberae civitatis fortunam secum mutatam vellent.‘

Omnibus his locis id tenendum est, agi de coniunctivo modo temporis praeteriti, plerumque imperfecti, semel plusquamperfecti; quem terminum verbi temporibus constitutum Livius excessit, cum coniunctivum praesentis omitteret 7, 40, 9 ‚haec imperiosa dictatura geretur, ut neque in hos meos et patriae meae milites mitior (sc. sim) quam in vos — horreo dicere — hostis.‘ Sed hic locus tam notabilis est et, qui loquitur, animo sic incitato, ut Weissenbornius ad h. l. merito coniciat [3]) aut perversam esse codicum scripturam aut per anacoluthiam dixisse Livium. Cui opinioni malim assentiri quam scripturae a viro doctissimo in editionem minorem ad libidinem re-

[1]) in editione illius libri altera; alia mihi praesto non fuit.

[2]) in editione maiore iterum parata; in minore coniunctivum omisit.

[3]) in editione maiore iterum parata.

ceptae.[1]) Vel Madvigium sequaris, qui facillima emendatione sic legit: ‚geretur, neque . . . mitior quam in vos (horreo dicere) hostes ero. Vos prius;‘ praesertim cum praesentis coniunctivus alias deesse nunquam videatur.

Ceterum omnia exempla modo proposita eo adiuvantur, quod alius quis coniunctivus inest in eis sententiae partibus, quae sequuntur membrum elliptice expressum; unus tamen locus excipitur qui exstat 1, 59, 2.

Brevius de infinitivi ellipsi dicere possumus: saepissime enim ‚esse‘ infinitivus desideratur cum apud alios scriptores, tum apud Livium, rarissime infinitivus perfecti, cuius ellipsin Weissenbornius[2]) ea re declarat, quod alia eiusdem verbi forma statim sequatur; aliter ellipsin illam vix inveniri ratus. Est locus hic: ‚cum sibi defectionis ab Romanis consilium placiturum (sc. fuisse) nullo modo, nisi necessarium fuisset, praefatus esset‘; ubi si sensus tantum observatur, et ‚esse‘ et ‚fuisse‘ infinitivus admitti potest. Aliter comparatus est locus, qui exstat 24, 5, 12 ‚rem tantam ausuros‘ (sc. fuisse); sed ibi summo consensu viri docti lacunam notaverunt. Contra 1, 39, 5 ‚serva natum eum (sc. fuisse) parvumque ipsum servisse‘ libri manuscripti nihil variant.

Jam videndum est, quemadmodum se habeat apud Tacitum verbi substantivi ellipsis. Qui brevis et nervosi generis dicendi studiosus, despiciens abundantis orationis copiam atque ornatum omnino illi figurae, ut consentaneum est, multo magis indulsit quam Livius, eloquentissimus ille veterum auctor.[3]) Primum igitur moneo ellipsin indicativi modi esse creberrimam artisque usus Liviani legibus, quas supra indagare tentavi, prorsus liberatam. Nam cum enuntiatis secundariis, tum ceteris verbi tempori-

[1]) ‚haec imperiosa dictatura geretur; [ut] neque in hos meos et patriae meae milites erit mitior quam in vos — horreo dicere — hostis.‘

[2]) in adnot. ad 23, 2, 5.

[3]) ipso Tacito in Ag. c. 10. teste.

bus, eadem Tacitus concedit, quae primariis enuntiatis vel praesenti tempori; itaque haec in exemplis, quae sequuntur, promiscue proponentur. Sed ne quem taedeat exemplorum copiae, haec sufficiant: Ag. 26, 11[1]) ‚donec pulsi hostes' (sc. sunt). 18, 21 ‚quibus nota vada et patrius nandi usus' (sc. erat). 29, 14 ‚quibus cruda ac viridis senectus' (sc. erat). 31, 14 ‚et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius (sc. est), eo suspectius.' 46, 1 ‚si quis piorum manibus locus' (sc. est). G. 14, 9 ‚quia et ingrata genti quies' (sc. est). 19,4 ‚quorum poena praesens et maritis permissa' (sc. est). 20, 9 ‚idem apud avunculum qui apud patrem honor' (sc. est). ib. 15 ‚quanto plus propinquorum, quanto maior adfinium numerus' (sc. est). 44, 10 ‚ut in quibusdam fluminum' (sc. est). 45, 7 ‚quibus ritus habitusque Sueborum, lingua Britannicae propior' (sc. est). — Quae cum satis multa sint etiam in scriptis minoribus, in quibus nondum perfecto omnibusque numeris absoluto stilo excellere Tacitum viri docti multi ostenderunt[2]), ex Historiis quoque et Annalibus, quae eius generis exemplis plane abundent, pauca liceat apponere. Exempla autem supra dicta iam credo docuisse (id quod reliqua etiam clarius docebunt), Tacitum intra fines usus Liviani, nequaquam se coercuisse. Nam ne uno quidem

---

[1]) Exempla e Taciti libris attuli Halmii editionem secutus quartam.

[2]) optime Woelfflinus in Philol. XXV, p. 96, 97 sqq. Etenim si Woelffius (in commentatione de lingua Taciti conscripta) contendit atque demonstrare conatur multa, quae Woelfflinus Tacitino dicendi generi tribuat, aut omnino non inveniri vel nimis quaesita videri aut natura operum declarari, nonnulla haud immerito contra Woelfflinum disputata videntur, id quod etiam exempla quaedam a me allata adfirmant. Neque tamen Woelffius ipse negat dicendi genus Tacitinum paullatim mutari in contextu operum linguamque, praesertim in Annalibus, aliquanto exquisitiorem evadere, qua cum sententia plurima faciunt, quae equidem repperi. Itaque quamvis in singulis quibusdam rebus errasse Woelfflinum statui possit, tamen in universum recte eundem iudicasse existimo.

loco verbi forma aut ex sequentibus addi potest aut ex verbo aliquo cognatae notionis; tum enuntiata, de quibus agitur, aut proprie relativa sunt aut varii generis, non ita comparata, ut continuent tantum concludantque sententias primarias, quibus applicata sunt; denique quae in illis cognoscitur ellipsis variorum temporum, multo frequentior fit in Historiis et Annalibus. Praesto sunt haec exempla: Hist. 1, 12, 10 ‚prout quis amicus vel cliens (sc. erat), hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant.' ib. 22, 12 ‚postquam ex eventu fides' (sc. fuit). 2, 33, 8 ‚postquam pugnari placitum' (sc. est). ib. 35, 10 ‚quanto laetiora Vitellianis (sc. erant), tanto acrius Othoniani detestabantur.' ib. 72, 8 ‚cum pertractus ad Vitellium interrogatusque' sc. est, quod Ritterus contra codicum auctoritatem addidit. Neque Halmium laudo, qui cur particula ‚et' addita enuntiatum modo dictum cum sequentibus coniungat[1]), ignoro. ib. 9 ‚postquam nulla dictis fides (sc. fuit) et a domino noscebatur.' 3, 66, 3 ‚ceterum ut quisque Vitellio fidus (sc. erat), ita pacem et condiciones abnuebant.' 4, 13, 6 ‚ultra quam barbaris solitum (sc. est) ingenio sollers.' ib. 21, 10 ‚quae ubi relata Civili (sc. sunt), gentem in arma rapit.' ib. 29, 4 ‚Romani conspicuam barbarorum aciem, et si quis audacia aut insignibus effulgens (sc. erat), ad ictum destinabant.' ib. 46, 12 ‚Germanicum Britannicumque militem, ac si qui aliorum exercituum (sc. erant), separatim adsistere iubet.' ib. 48, 10 ‚diuturnitate officii, vel quia minoribus maior aemulandi cura' (sc. est). ib 81, 24 ‚nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium' (sc. fuit). 2, 54, 13 ‚et mors Othonis quo laudabilior (sc. erat), eo velocius audita.' 3, 5, 4 ‚principes Sarmatarum Jazugum, penes quos civitatis regimen (sc. erat), in commilitium adsciti.' ib. 69, 15 ‚Sabinus re trepida, quod tutissimum e praesentibus (sc. erat), arcem Capitolii insedit.'

---

[1]) in ed. III., in ed. IV. ‚et' delevit.

4, 15, 19 ‚signa vexillaque et quod militum (sc. erat) in superiorem insulae partem congregantur.‘ ib. 31, 5 ‚auxilia e Gallia, quis nec amor neque odium in partes (sc. erat), statim desciscunt.‘ ib. 33, 1 ‚veteranas cohortes et quod e Germanis maxime promptum‘ (sc. erat). ib. 39, 22 ‚vires abolet dimissa in hiberna legione septima, cuius flagrantissimus in Antonium amor‘ (sc. erat). ib. 25 ‚sic egesto quidquid turbidum‘ (sc. erat). ib. 74, 19 ‚sed vobis maximum discrimen, penes quos aurum et opes‘ (sc. sunt). ib. 84, 25 ‚insignibus quae in ipso manifesta (sc. sunt), aut per ambages coniectant.‘ 5, 4, 7 ‚ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium‘ (sc. est). ib. 16, 19 ‚quis vel ex longa pace proelii cupido, vel fessis bello pacis amor (sc. erat) praemiaque et quies in posterum sperabantur.‘ Ann. 1, 3, 16 ‚non obscuris, ut antea (sc. fuerant), matris artibus.‘ ib. 58, 14 ‚atque ubi primum tui copia (sc. est), vetera novis et quieta turbidis antehabeo.‘ 2, 38, 16 ‚intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes‘ (sc. erit). 3, 60, 15 ‚libero, ut quondam (sc. fuerat), quid firmaret mutaretve.‘ 6, 39, 4 ‚haec Tiberius non mari, ut olim (sc. fuerat), divisus.‘ 11, 18, 8 ‚ceteras navium, ut quaeque habiles (sc. erant), per aestuaria et fossas adegit.‘ 14, 34, 8 ‚at Britannorum copiae passim per catervas et turmas exsultabant, quanta non alias multitudo‘ (sc. fuit). 15, 73, 8 ‚at in senatu cunctis, ut cuique plurimum maeroris (sc. erat), in adulationem demissis.‘ 4, 3, 13 ‚atque illa, cui avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi (sc. erant), seque ac maiores et posteros municipali adultero foedabat.‘ 5, 3, 12 ‚donec pauci, quis nulla ex honesto spes (sc. erat), postulavere.‘ 6, 50, 5 ‚consedit in villa, cui L. Lucullus quondam dominus‘ (sc. fuerat). 12, 12, 7 ‚igitur excitis, quorum de sententia petitus rex (sc. erat), positisque castris apud Zeugma, unde maxime pervius amnis‘ (sc. erat). 13, 39, 7 ‚sibique quod validissimum in ea prae-

fectura (sc. erat), cognomento Volandum, sumit.' 16, 17, 16 ,at Mela, quae tum promptissima moratis via (sc. erat), exsolvit venas.'

Similiter Tacitus coniunctivum modum eis compedibus expedivit, quibus a Livio vinctus erat; nam neque imperfecti temporis ellipsi, quam quidem maxime fovet, contentus fuit, neque saepe in proximis enuntiati partibus aliam eiusdem verbi formam aut alius verbi coniunctivum in sequentibus posuit. Sed ipse Tacitus nonnulla habet Liviani usus simillima, velut Ann. 6, 3, 3 ,rogitans, quid illi cum militibus (sc. esset), quos neque dicta neque praemia nisi ab imperatore accipere par esset.' Magnam hic locus dubitationem viris doctis attulit, cum codices post verbum ,dicta' exhibeant ,imperatoris' vocabulum, quod sensu carere apparet. Itaque Nipperdeius in ed. VI. scripsit ,nisi e praetorio', quod neque simplex neque necessarium est; immo verba sequentia luce clarius docent non solum praemia, sed etiam dicta ad imperatorem esse referenda. Qua de causa ne Andresenii quidem sententiam probo, qui in ed. Nipperdeii VII. secundum vulgatam edidit ,nisi imperatoris'[1]); nam imperatoris nomen bis positum plane supervacaneum atque neglegentia librarii alicuius additum videtur: itaque equidem hoc nomen post ,dicta' prorsus delendum esse censeo, sicut Halmius quoque uncis inclusit. ib. 8, 20 ,cui ex te opes honores, quis plurima iuvandi nocendive potentia (sc. sit), quae Seiano fuisse nemo negaverit.' 12, 48, 8 ,poteretur Radamistus male partis, dum invisus, infamis (sc. esset), quando id magis ex usu (sc. foret), quam si cum gloria adeptus foret'; ubi Nipperdeius pro ,adeptus' vocabulo, quod Tacito indignum sit, correxit ,depulsus', iniuria, ut mihi quidem videtur: illud enim cur Tacito indignum sit, non intellego.

---

[1]) quod qua ratione J. Muellerus explicaverit, me non comperisse doleo.

Si sensum respicis, id unum refert, utrum cum infamia an cum gloria Radamistus regnum adeptus sit: Nipperdeium si sequereris, gloria ad Romanos esset referenda, non ad Radamistum; quod ad sensum aptum non est. Itaque cum Halmio lectionem in codicibus traditam servavi.

Multo saepius alius verbi coniunctivum deprehendimus in eis, quae sequuntur; e. g. Ag 24, 15 ‚si Romana ubique arma (sc. essent) et velut e conspectu libertas tolleretur.' G. 19, 12 ‚ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas (sc. sit), ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium ament.' Hist. 1, 21, 10 ‚dum Galbae auctoritas fluxa (sc esset), Pisonis nondum coaluisset.' ib. 40, 7 ‚quasi Vologesum aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri (sc. essent) ac non imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent.' 3, 31, 3 ‚ne Cremona quoque excisa nulla ultra venia (sc. esset) omnisque ira victoris in tribunos centurionesque reverteretur,' ubi Heraeus in ed. II. ‚excissa' legit, argumentis parum firmis permotus; quamquam enim ‚excindere' et ‚excidium' cum apud Tacitum, tum apud alios usurpatur, tamen ‚excidere' quoque in usu est. 4, 12, 4 ‚id bellum quibus causis ortum (sc. sit), quanto externarum sociarumque gentium motu flagraverit.' ib. 13, 15 ‚si redintegratum bellum (sc. esset) et tot armatorum milia Italiam inrupissent.' ib. 18, 13 ‚ut suo militi recens gloria ante oculos (sc. esset) et hostes memoria cladis terrerentur.' ib. 34, 9 ‚tamquam perditae apud Romanos res (sc. essent) et suis victoria provenisset'. Ann. 1, 9, 2 ‚mirantibus, quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus (sc fuisset), quod Nolae vitam finivisset.' 4, 22, 4 ‚respondit, tamquam ipse somno gravis atque eo ignarus (sc. fuisset), et uxor sponte mortem sumpsisset'. 6, 35, 6 ‚(cum) modo equestris poelii more rontis et tergi vices (sc. essent), aliquando pellerent pellerentur.' 15, 17, 12 ‚amnemque, ut olim (sc. fuisset), medium faceret.' – Ne

autem multus sim, reliqua exempla, quae in Taciti scriptis obviam sunt, non iam integra apponam, sed ubi inspici possint, tantum commemorabo; hi fere loci sunt: Hist. 1, 79, 27. 2, 23, 2. ib. 37, 6. ib. 42, 3 (ubi praesentis coniunctivus omittitur, aeque ac locis supra dictis G. 19, 12. Hist. 4, 12, 4; cf. Ann. 1, 61, 16. 2, 33, 15). 3, 16, 11. 4, 69, 9. Ann. 1, 35, 1. ib. 65, 3. 2, 85, 13. 3, 11, 7. ib. 40, 13. ib. 52, 14. 4, 24, 3. ib. 63, 6. 6, 37, 9. 13, 6, 6. 15, 27, 10. 16, 30, 9.

Neque raro alius quis coniunctivus omnino deest, cf. G. 9, 4 ‚unde causa et origo peregrino sacro (sc. sit), parum comperi.‘ 13, 11 ‚comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus (sc. sit), et principum, cui plurimi et acerrimi comites‘ (sc. sint). 39, 10 ‚tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia‘ (sc. sint). Hist. 1, 85, 14 ‚coacto vero in curiam senatu arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas‘ (sc. esset). 2, 42, 6 ‚plerisque suorum ignaris quae causa salutandi‘ (sc. esset). 3, 16, 3 ‚dum Antonius quidnam agendum (sc. sit) consultat.‘ 4, 62, 6 ‚quale illud iter? quis dux viae?‘ (sc. esset). ib. 83, 14 ‚quaenam illa superstitio, quod numen‘ (sc. esset). — Plura in Annalibus occurrunt; e. g. 1, 7, 3 ‚ne laeti excessu principis neu tristiores primordio (sc. essent), lacrimas gaudium, questus adulationem miscebant.‘ ib. 9, 10 ‚rei publicae, in qua nullus tunc legibus locus‘ (sc. esset). ib. 11, 4 ‚didicisse, quam arduum, quam subiectum fortunae regendi cuncta onus‘ (sc. esset). ib. 16, 12, 9 quaenam post Augustum militiae condicio (sc. futura esset) ambigentes impellere‘. ib. 40, 1 ‚quod non ad superiorem excercitum pergeret, ubi obsequia et contra rebellis auxilium‘ (sc. esset). ib. 41, 3 quis ille flebilis sonus? quod tam triste?‘ (sc. sit). Nipperdeius Heinsium secutus scripsit ‚quid tam triste,‘ iniuria, ut mihi videtur. Adiectiva enim neutrius generis substantivorum loco saepe apud Tacitum inveniuntur[1]), atque

pronomen relativum interrogativi loco interdum usurpari locus docet qui sequitur: ib. 48, 14 ,quod caedis initium, quis finis' (sc. esset). 2, 14, 4 ,quae sapientia provisa aptaque inminenti pugnae (sc. sint) disserit.' ib. 36, 11 ,unde prospici posse quae cuique tam longo temporis spatio mens domus fortuna?' (sc. futura sit). ib. 76, 3 ,quid agendum (sc. esset) consultanti.' 3, 45, 12 ,quam decora victoribus libertas, quanto intolerantior servitus iterum victis' (sc. futura esset). ib. 47, 6 ,omissa' urbe, unde in omnia regimen' (sc. sit). 4, 12, 8 ,volutare secum, quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio' (sc. esset, quod illa e Seiani animo dicuntur). 6, 26, 9 ,dum integer, dum intemptatus' (sc. esset). 11, 15, 11 ,viderent pontifices quae retinenda firmandaque haruspicum' (sc. essent). 13, 54, 16 ,quis eques, ubi senatus (sc. sit) percontantur.' 14, 61, 11 ,ut de matrimonio certet, quamquam id sibi vita potius (sc. sit). 15, 1, 20 ,id in summa fortuna aequius quod validius' (sc. esset). — Sunt alia multa, quae hoc loco transeo. Quod autem ad tempora attinet, adverti etiam potest aliquoties in incerto Tacitum reliquisse, utrum suppleri velit coniunctivum praeteriti temporis an praesentis; id quod effici plerumque videtur orationibus obliquis, namque in eis leges de temporum consecutione constitutae non ita accurate observantur a Tacito. Eiusmodi ellipsis in sequentibus exemplis agnoscetur: Hist 4, 68, 13. Ann. 2, 63, 11. 4, 40, 5. ib. 43, 8. 6, 43, 11. 11, 35, 5. 12, 35, 6.

Infinitivi ,esse' ellipsis crebrior est, quam de qua hic agi possit; sed ne perfecti quidem infinitions, raro a Livio et cum duritia quadam omissus, raro a Tacito praetermittitur. [2])

Sequitur, ut ad ellipsin aliorum verborum transeamus. Et primum quidem de ellipsi verborum sentiendi

[1]) v. quae Nipperdeius ipse adfert in adn. ad Ann. VI, 24.
[2]) cf. Schmidtium, de ellipsi Tacitina p. 6.

et dicendi pauca disputanda sunt. Qua uterque scriptor utitur in vivido et alacri sermone, vel si re ipsa apparet ea, quae sequuntur, proloqui personam antea dictam, vel si verbum quod notionis similis aut praecedit aut sequitur, vide Taciti Ann. 14, 8, 14. 1, 9, 9 sqq. Hist. 3, 78, 7; Livii 21, 16, 3. 1, 47, 2. 38, 22, 5. Hac tantum re paullum inter se discrepant, quod Livius verbum dicendi vel sentiendi etiam orationis rectae vel apodosis initio saepe abicit,[1] Tacitus plerumque initio obliquae orationis. Certe inter exempla a Draegero[2] collecta unum tantum orationis rectae est, v. Ann. 1, 28, 15.[3] Sed hoc ellipsis genus a viris doctis adeo tractatum est, ut nihil fere addi possit.

Venimus nunc ad ellipsin verborum agendi et movendi et similium. Quam prolatavit Tacitus ultra terminos usus Liviani; nam cum Livius rarius adhibeat ellipsin eam, quae paullo notabilior sit, plane inversa ratione Tacitus agit. Verba agendi atque similia saepe quidem omittuntur a Livio in continuata oratione, plerumque autem tum, cum continentur formulis ‚nihil aliud quam, nihil prius quam, quid aliud quam' similibus. Atque haec omnia eiusmodi sunt, ut veram ellipsin vixdum possis odorari; nam adverbiorum fere vi dicuntur, velut 2, 32, 8 ‚nihil aliud quam hoc narrasse fertur.' 25, 4, 5 ‚nihil aliud a caede ac dimicatione continuisse homines nisi patientiam magistratuum.' 31, 24, 3 ‚nec quicquam aliud quam ad deforme spectaculum semirutae ac fumantis sociae urbis quum venisset.' Unum inter ea, quae Kuehnastius[4]) adfert, exempla inveni, quod ista formula careat; est id 32, 33, 12 ‚at non (sc.

---

[1]) v. Fabri ad 21, 18,4 et 8, Zumptium, gr. Lat. § 772.
[2]) de syntaxi et stilo Taciti § 34.
[3]) cf. Schmidtium l. l. p. 2 sqq.
[4]) de synt. Liv. p. 278.

hoc fecisse) antiquos Macedonum reges, sed acie bellare solitos.'

Jam si ad Tacitum nos convertimus, minimi apud eum videmus momenti esse formulas istas ,nihil aliud quam, nihil prius quam, quid aliud quam' alias; quod luce clarius apparet ex exemplis a Draegero [1]) et Schmidtio [2]) congestis. Inter ea enim nisi unum nullum est, quod generi modo dicto congruat, videas Ann. 15, 13, 5 ,nec aliud quam munimenta propugnabant.' Omnino autem Tacitus verbum omittere solet in eis enuntiatis, in quibus vel ex adverbio aliquo adiecto vel ex alia enuntiati parte vel ex toto orationis contextu facile intellegi potest; [3]) testimonio sint haec exempla: Ag. 19, 5 ,nihil per libertos servosque publicae rei' (sc. egit). Ann. 1, 43, 3 ,melius et amantius ille (sc. egit) qui gladium offerebat.' 4, 38, 18 ,melius Augustum (sc. egisse), qui speraverit.' 6, 10, 4 ,haec apud senatum' (sc. acta sunt), cf. Hist. 1, 84, 1 ,vos quidem istud pro me' (sc. egistis). Ann. 14, 7, 11 ,post Seneca hactenus promptius' (sc. egit); quo loco Heraeus coniecit scriptum fuisse ,prompsit', quod etiamsi sententiae aptum sit, tamen nihil est, cur scriptori tribuendum sit. Nam eiusmodi ellipsis profecto est Tacitini sermonis, ut Heraeus ipse in adnotatione ad Hist. 1, 65 fatetur. — G. 37, 10 ,medio tam longi aevi spatio multa in vicem damna' (sc. facta sunt). Ann. 14, 7, 7 ,quod contra subsidium sibi? nisi quid Burrus et Seneca', ubi Nipperdeius cogitatione addendum arbitratur ,excogitarent' vel ,invenirent'; sed commodius mihi videtur ,molirentur', est enim magis universe dictum. Ceterum post ,Seneca' est in codice Mediceo ,expergens', neque certa huius loci emendatio adhuc inventa est.[4]) 16, 19, 10 ,ne codicillis quidem, quod plerique perc-

[1]) l. l. § 35.

[2]) l. l. p. 4.

[3]) cf. Heraeum ad Hist. 1,65; Nipperdeium ad Ann. 4,57.

[4]) cf. Halmii adnot. crit.

untium (sc. fecerunt), Neronem adulatus est.' — Ag. 33, 2 ,iamque agmina et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu' (sc. movebantur). G. 14, 14 ,materia munificentiae per bella et raptus' (sc. paratur). Hist. 1, 65, 2 ,multae in vicem clades crebrius infestiusque' (sc. edebantur). ib. 83, 12 ,tumultus proximi initium non cupiditate vel odio' (sc. ortum est). Ann. 4, 57, 2 ,tandem Caesar in Campaniam (sc. profectus est), ubi Halmius addidit ,abscessit', non satis recte, ut mihi quidem videtur; nam ne exempla modo allata commemorem, simillimus certe locus, de quo Halmius nihil dubitat, exstat Ann. 14, 8, 13 ,quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem' (sc. veniret).

Ceterum verborum movendi illa ellipsis apud alios quoque scriptores occurrit, perraro quidem; velut apud Livium 41, 3, 5 ,tunc demum nuntius ad tertiam legionem revocandam.' Sed hunc ipsum locum in dubitationem vocavit Weissenbornius, propterea quod vix credere possis participium ,missus' h. l. a Livio omissum esse, cum aliis locis similibus usurparetur; itaque illud in textu posuit vir doctissimus. Attamen ipse concedit deesse interdum movendi verbum et conferri iubet, quae 44, 24, 1 leguntur: ,eodem tempore ad Eumenen et ad Antiochum communia mandata.' Quamobrem equidem codicum lectionem etiam eo loco, de quo modo dixi, intactam reliqui. Alii duo loci a Schmidtio [1]) e Livii libris desumpti nihil faciunt ad rem; alter enim, qui est 1, 7, 2, aliter potest explicari [2]), alter (also citatur a Schmidtio. [3]) Omnino quicunque Schmidtii commentatione uti cogetur, mox perspiciet, opinor, eam haud ita diligenter conscriptam esse. — Sed ad propositum redeo. Et eandem fere rationem intercedere inter Tacitinum ac Livianum sermonem demonstrat.

1) l. l. p. 5.
2) cf. Weissenbornii ad eum adnotationem.
3) qui adfert Liv. 7, 31, 8.

Ellipsis praepositionum,

maxime ea, quae inest in usu accusativi localis qui dicitur. Adhibet eum uterque scriptor, liberius Tacitus. Etenim Livius praepositionem neglegit aut ante appositiones nominibus urbium propriis adiunctas, velut 3, 1, 5 ,Antium, propinquam opportunam et maritimam urbem', 31, 45, 12 ,Sciathum traiecere, vastatam urbem direptamque nuper a Philippo'; aut ante nomina propria terrarum et earum, quae mari adiacent.[1]) Profecto, quoad equidem vidi, exemplum nullum invenitur, quod ad terras referri possit alias; v. e. g. 8, 24, 17 ,inde Epirum devecta'. 31, 43, 5 ,Aegyptum vexit'. 37, 31, 6 ,Hellespontum ad exercitum traiciendum misit'. 42, 44, 6 ,Peloponnesum proficiscuntur'; quo loco Madvigium, qui praepositionem addiderit, non laudo; idem enim vir clarissimus in eodem nomine proprio 36, 42, 4 non offendit.

Contra Tacitus non solum nomina terrarum propria sic usurpata habet, velut Ann. 2, 59, 2 ,Aegyptum proficiscitur', sed etiam gentium; e. c. Ann. 12, 32, 2 ,ductus inde Cangos exercitus', ad quem locum comparandus Nipperdeius, qui coniecturam Bezzenbergeri ,in Decangos' rectissime impugnat. Nam sine dubio, quod libri praebent, tenendum videtur, quoniam et Decangi prorsus ignoti sunt (cum ,Cangi' verisimillima emendatio exstet in Caesaris quoque b. G. 5, 21, 1), et praepositio aliis quoque locis similibus excidit[2]); e. c. Ann. 12, 51, 11 ,Hiberos ad patrium regnum pervadit', quae editores plerique emendare voluerunt, quamvis

---

[1]) ut Weissenbornius ad 10, 37,1 explicat.

[2]) hac de causa id, quod Andresenius Nipperdeio mortuo in quarta horum librornm editione secundum Huebnerum itemque Halmius h l. correxerunt, ,in Ceangos', mihi non videtur necessarium; quod quibus argumentis permotus Andresenius receperit, valde doleo me comperire non potuisse.

levetur ellipsis praepositione ‚ad‘, quae statim sequitur. Hist. 3, 84, 18 ‚Aventinum in domum uxoris sellula defertur‘ neque terrae neque gentis nomen proprium, sed montis legentibus nobis occurrit. Quare glossema illud esse existimat cum Rittero et Nipperdeio Heraeus ideoque uncis inclusit, quos etiam Halmius in editione quarta addidit; quod cum colligat Heraeus ex praepositione ‚in‘, quae deficiat hoc loco, quamquam pernecessaria sit, mihi non recte videtur iudicasse. Etenim si supra Ann. 12, 51, 11 licet omitti praepositionem, h. l. nihil est, cur ponatur, praesertim cum Aventinus, urbis pars, ad similitudinem quandam nominum urbium accedat. —

Hucusque eam tractavi dicendi brevitatem, quae verborum modo structuram comprehendit: superest, ut de ea disseram, quae procedit longius comprehenditque structuram sententiarum. Cuius genera multa esse quamquam equidem scio, tamen hic duorum tantum rationem habere mihi certum est, et parenthesis et brachylogiae, quae dicuntur a grammaticis. Erunt autem, nisi fallor, qui mirentur de parenthesi me cogitare, quippe quae non tam brevitatis dicendi sit quam incuriae; oritur enim parenthesis, si quod enuntiatum iam inchoatum nova quadam sententia inciditur, qua finita demum continuatur, plerumque alia ratione ac qua inchoatum fuit. Sed haud ita raro accidit, ut parenthesis non plena sit sententia, sed circumcisa aliqua ex parte aliis enuntiatis interponatur. Hanc ipsam proprietatem, quae praesertim apud Tacitum maximi momenti est, ut inlustrem explanemque, qua ratione a parenthesi, quae proprie dicatur, profecta sit, hanc quaestionem attigi.

Parenthesis

igitur saepe usurpatur et a Tacito et a Livio, neque vero eisdem finibus ab utroque circumscribitur. Et statim monendum est apud Livium parenthesim

plerumque effici enuntiato toto, quod non pendens ab alio quo sermoni inseratur, perraro verborum ordinem et contextum ita impedire, ut non per se ipsa enuntiati forma pronuntietur, sed appositionis vel attributi insolenter adiecti vicem obtineat. E. g. adfero: 1, 37, 5 ‚spoliis hostium — id votum Vulcano erat — ingenti cumulo accensis pergit‘. 9, 44, 9 ‚consul ut stativa tuta copiosaque — et ita erant — petisse videretur.‘ 24, 33, 3 ‚cum Romanus exercitus ad Olympium — Iovis id templum est — mille et D passus ab urbe castra posuit‘. 27, 16, 8 ‚quid fieri signis vellet ingentis magnitudinis — di sunt, suo quisque habitu in modum pugnantium formati —, deos iratos Tarentinis relinqui iussit‘. 32, 11, 9 ‚nocte itinera fieri iubet — et pernox forte luna erat —; interdiu cibi quietisque sumeret tempus‘. 35, 34, 2 ‚per apocletos autem — ita vocant sanctius consilium, ex delectis constat viris — id agitabant.‘ 42, 53, 6 ‚descendit ad Azorum, Pythium, Dolichen — Tripolim vocant incolentes‘. Hic autem tum demum parenthesis exsistit, cum codicum auctoritate nisi verba ‚Tripolim vocant incolentes‘ post vocem ‚descendit‘ inserimus, quod fieri posse Weissenbornius[1]) negat; haud scio an iniuria. — Alia enumerare longum est; transeo igitur ad rariorem usum, cuius haec documento sunt exempla: 8, 17, 10 ‚eo certamine superior Alexander, incertum qua fide culturus, si perinde cetera processissent, pacem cum Romanis fecit‘. 31, 41, 2 ‚clauserant portas, incertum vi an voluntate, quia regium habebant praesidium‘. 9, 41, 18 ‚non tamquam in viros aut armatos incurrunt: mirabilia dictu, signa primo eripi coepta signiferis, deinde ipsi signiferi trahi ad consulem‘. 40, 14, 2 ‚quo lusu apud me celebratum hesternum convivium sit, illo etiam — pravo forsitan — gaudio provehente‘. —

---

[1]) in adnot. ad h. l. (ed. prim.)

Plane inversa res est apud Tacitum. Tota enim enuntiata paucissimis locis reperiuntur, velut Hist. 2, 76, 20 ,an excidit trucidatus Corbulo? splendidior origine[1]), quam nos sumus, fateor, sed et Nero nobilitate natalium Vitellium anteibat.' Sic cum Heraeo et Halmio legere malim praetermisso vocabulo ,is', quia in codice Mediceo exhibetur ,splendior' correctum e ,splendiori'; nam mihi quoque ex dittographia facilius videtur oriri potuisse lectio prima codicis Medicei, quam littera ,s' in textum inferenda esse, quod Weissenbornius contendit. Hist. 5, 17, 13 ,ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) adprobata sunt dicta.' Quam Heraeus Hist. 4, 12, 10 particula ,ve' interposita statuit parenthesim, ea mihi videtur minime necessaria; etenim quae in codicibus traduntur, satis dilucido et apto sensu ornata sunt. Neque magis necessarium est, quamvis ad sensum aptum foret, quod H. Tiedkius coniecit[2]) eumque secutus Halmius recepit: ,nec opibus (rarum in societate validiorum) adtritis viros tantum armaque imperio ministrant'. Ann. 15, 36, 1 ,nec multo post omissa in praesens Achaia (causae in incerto fuere) urbem revisit'. — Permultis locis appositionis vi instruuntur parentheses; e. c. Ag. 7, 15 ,nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio.' Hist 4, 6, 4 ,ea ultio, incertum maior an iustior, senatum in studia diduxerat.' ib. 57, 18 ,ut (flagitium incognitum Romani exercitus) in externa verba iurarent'. Sic dedit Halmius, ,Romano exercitui' Heraeus, codex Mediceus habet ,Romanus ,exercitus', quod corrigendum esse equidem intellegere non possum, et miror Heraeum in numero plurali ,iurarent' cum singulari ,exercitus' coniuncto

---

[1]) ubi apud Halmium in textu invenitur ,orgine', typographi errore manifesto illapsum.

[2]) in Mus. Rhen. 34, 626. Quibus autem causis permotus Tiedkius ,rarum in' addiderit, nescio, cum Museum Rhenanum inspicere non potuerim.

haerere. Namque frequenter inveniri eam structuram collectivorum substantivorum, a Draegero[1]) discere poterat, qui illud ipsum substantivum ‚exercitus' inter alia habet, v. Ag. 27, 1. — Ann. 1, 39, 16 ‚sese tutabatur, ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset.' Haec parenthesis, quae adiectivo ‚rarum' fit, apud Livium omnino non reperitur, ne apud Tacitum quidem nisi Annalium his aliis locis: 1, 56, 7 ‚nam (rarum illi caelo) siccitate et amnibus modicis inoffensum iter properaverat'. 6, 10, 11 ‚Per idem tempus L. Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit'. 13, 2, 2 ‚hi rectores imperatoriae iuventae et, rarum in societate potentiae, concordes'. Usitatissimum in eiusmodi parenthesibus vocabulum est ‚incertum'; e. g. Ann. 1, 11, 20 ‚addideratque consilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu an per invidiam'. 6, 50, 11 ‚nam Tiberius, incertum an offensus tantoque magis iram premens, instaurari epulas iubet'. 11, 22, 4 ‚conscios non edidit, incertum an occultans'. 14, 9, 8 ‚se ipse ferro transegit, incertum caritate in patronam an metu exitii'; cf. etiam supra Ag. 7, 15. Hist. 4, 6, 4. — Similia sunt: Hist. 4, 84, 14 ‚mirum inde dictu, tertio die adpelluntur'. 5, 6, 9 ‚praecipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus'. Ann. 2, 17, 8 ‚mirumque dictu, duo hostium agmina ruebant'. 1, 35, 19 ‚pars contionis ac, vix credibile dictu, quidam singuli propius incedentes'.

Haec sunt, quae de parenthesi dicenda habui; relinquitur, in quam inquiram,

Brachylogia.

Cuius vim, ut paucis hoc addam, e Kuehnastii sen-

---

[1]) de synt. et stilo T. p. 13 sq. (ed. alt.)

tentia optime statui existimo; clarissime enim explicat vir doctissimus, cum brachylogiam eam intellegat [1]), quae uno enuntiato id coerceat, quod cogitando in duas partes dividamus. Ante omnia autem hic illud genus tractandum est, quod fit genitivo gerundii vel gerundivi; luculentissime enim ostendit, quantopere differant inter se Livius et Tacitus, una eademque usi figura.

Et Livius quidem genitivum gerundivi saepius cum substantivis verbo ‚esse' interposito ita coniungit, ut significet fere idem ac ‚pertinere' vel ‚spectare ad aliquam rem' [2]); velut 3, 24, 1 ‚frustrationem eam legis tollendae esse'. ib. 39, 8 ‚qui vicissitudinem imperitandi, quod unum exaequandae sit libertatis, sustulerint', 5, 3, 5 ‚concordiam ordinum, quam dissolvendae maxume tribuniciae potestatis rentur esse'. 27, 9, 12 ‚ea prodendi imperii Romani, tradendae Hannibali victoriae esse'. 30, 9, 4 ‚quae diutinae obsidionis tolerandae sunt, ex agris convehit'. 34, 54, 5 ‚omnia discrimina talia et concordiae et libertatis aequae minuendae esse'. 40, 29, 16 ‚pleraque dissolvendarum religionum esse'. — Sed ne raro quidem, si Kleinio fidem habemus, genitivus gerundivi verbo omisso substantivis ita adiungitur, ut finalis sententiae vim accipiat; e. g. 9, 9, 19 ‚vilia haec capita luendae sponsionis feramus'. In horum numero etiam alios locos Kleinius duxit, neque vero satis recte, ut mihi quidem videtur. Nam in eis licet vis sententiae finalis indagari possit, tamen hoc fieri minime necesse est; id quod ex exemplis ipsis facile patebit. Etenim in eis, quae 9, 45, 18 leguntur: ‚mitterent Romam oratores pacis petendae amicitiaeque' nihil aliud habemus nisi genitivum qualitatis a substantivo ‚oratores' penden-

---

[1]) de synt. Liv. p. 275.

[2]) cf. Kleinium, de genitivi usu Liviano p. 26 sq.

tem [1]; quem cum Weissenbornius [2] forma verbi adiutum finali esse vi dicat, finalis illa vis luce clarius inest in forma verbi, non in casu substantivi. Similiter 29, 23, 2 ‚haud parvum et ipsi tuendae Africae momentum adiecerunt' et 29, 24, 2 ‚magno momento rerum in Africa gerendarum magnaque spe destitutus erat' genitivus obiectivus eiusmodi cognoscitur, quem Madvigius in grammatica Latina § 283, 3 describit. ‚Momentum' enim hoc loco est, quod nos dicimus ‚eine Sache von Gewicht oder Bedeutung für etwas', genitivi autem appositi id exprimunt, ad quod pertinet actio verbi, latentis in substantivo verbali. Redit igitur res ad id genus, de quo supra dixi; quae opinio etiam ea re confirmatur, quod substantivum ‚momentum' alias praepositionem ‚ad' vel ‚in' cum gerundivo coniunctam sibi adsciscit; quod Kleinius ipse concedit. Errat autem vir clarissimus, cum arbitratur talia sententiae finalis loco dicta esse; immo nihil aliud sibi volunt ac verbum ‚pertinere ad'. Cf. 21, 4, 2 ‚momentum ad favorem conciliandum', 42, 45, 8 ‚magnum ad conciliandos animos momentum', ib. 46, 5 ‚momentum ad mutandos animos'. Eiusmodi etiam ea videntur esse, quae 5, 24, 5 leguntur: ‚spei maioris avertendae solacium obiectum censebant'. Denique 6, 1, 11 quae ab Alschefskio secundum optimos codices edita sunt: ‚insignemque rei nullius publice privatimque agendae fecerunt', a Weissenbornio summo iure sic explicantur, ut sint ‚diem fecerunt insignem, ut dies esset nullius rei agendae', genitivus autem suspendatur a substantivo ‚dies'. Itaque Madvigio, qui ‚nulli' scribit pro ‚nullius', obsequendum esse nego. Qua oblata occasione praeteriri non debet Zumptius, qui in gr. Lat. § 764 dicit errare eos, qui genitivum illum gerundivi elliptice

---

[1] sicut etiam Wolffius in commentatione de lingua Taciti conscripta adfirmat, quam doleo nuper demum mihi in manus venisse, cum meam iam ad finem perduxissem.

[2] in adnot. ad h. l. (ed. alt.)

pro sententia finali positum existiment tum, cum ex substantivis aptus sit; id quod etiam exemplis a me modo tractatis probatur. Pergit vir doctissimus, iniuria perseverari in genitivo gerundii, alieno illo quidem a lingua Latina, ubi forma verbi patiatur dativum statui, qui cum sincera Latinae linguae indole quam maxime congruat. Hoc referendum mihi videtur ad Livii 8, 6, 11 ‚averruncandae deum irae victimas caedi', ubi quominus dativum praeferamus, quid nos prohibet? Quodsi nolumus, at certe dubius est locus neque potest adferri ad inlustrandum genitivi usum; id quod Kleinius fecit.[1] Denique Zumptius, ut ad hunc revertar, genitivum gerundii pro sententia finali usur patumomnino abiudicat a Cicerone, Nepote, Livio, Caesare; qua in re oblitus videtur loci Liviani supra commemorati 9, 9, 19; ibi enim quemadmodum genitivus ‚luendae sponsionis' substantivo ‚vilia haec capita' aptari possit, non dixit vir clarissimus. Equidem facere non possum, quin genitivum h. l. idem valere ac sententiam finalem censeam; accedit, quod vocabula ‚luendae sponsionis' solo sensu respecto ad praedicati ‚feramus' actionem magis spectant quam ad substantivum ‚capita'. Sed haec res nos admonet, ut de origine dicendi illius consuetudinis pauca addamus; quo facto magis perspicuus fortasse fiet locus modo dictus. Multi igitur viri docti genitivum gerundivi explicandum esse putant ellipsi vocis ‚causa' adhibita: ut de aliis taceam, Boetticherus in lexico Taciteo, p. 217, Matthiae in grammatica Graeca, § 540, not. 1, Zumptius in gr. Lat. § 663, 764; Classenus ad Thucyd. 1, 4 nihil explicat, nisi quod dicit genitivum esse finalem. Prorsus aliam Nipperdeius ad Tac. Ann. 2, 59 sententiam prompsit. Dat igitur genitivum indicare, quo spectet actio aliqua; sed sicut a prioribus scriptoribus additus sit substantivis, ita apud Tacitum proprie sese

---

[1]) itemque Wolffius l. l. p. 17.

applicare ad praedicata, ut describat, qualis sit actio verbi. Ita apud Thucydidem quoque 8, 39, ubi legatur: ‚ἀγγελίαν ἔπεμπον ἐπὶ τὰς ἐν τῇ Μιλήτῳ ναῦς τοῦ ξυμπαρακομισθῆναι‘ ἀγγελίαν esse nuntium, quo Lacedaemonii nuntiaverint se Miletum adduci velle, quia, quod nuntio contineatur, id genitivo significetur. E Graeca igitur lingua desumptum esse hunc dicendi morem. Qua cum opinione viri doctissimi facere videtur, quod Madvigius in gr. Lat. § 417, a. 5 fatetur se nescire, an orta sit dicendi consuetudo, de qua agitur, e genitivo definiendi causa substantivo alicui adiuncto, comparari iubens Liv. 9, 45, 18 ‚mitterent Romam oratores pacis petendae amicitiaeque‘. Quae cum ita sint, equidem iudicaverim Nipperdeii sententiam verisimillimam esse; Woelfflini enim, quam videas in Philologo, vol. 25, p. 113 sq., nimis quaesita videtur; Nipperdeii et simplicissima est et linguae legibus maxime convenit. Atque etiam Wolffius quae contra adfert, [1]) exempla e Livio desumpta alius esse generis atque structuram illam paullatim longius esse progressam, falso videtur in censum vocasse. Nam cum Tacitinus dicendi mos alius est ac Livianus, tum procul dubio magis consentaneum est enuntiata alia ad aliorum analogiam, cum lingua temporum cursu liberior evaderet, efficta esse, quam unum aliquod ita comparatum, ut omnibus linguae legibus repugnaret neque quidquam haberet simile, ex quo repeteretur; hoc autem viri docti volunt ellipsi vocis ‚causa‘ comprobata. Sin autem Nipperdeio obsequemur, etiam apparebit, quemadmodum a substantivis cum genitivo coniunctis potuerit transitus fieri ad verba cum genitivo gerundii finali coniuncta; et apparebit hoc ex eo loco, a quo profecti sumus, dico Liv. 9, 9, 19. Illic enim substantivo quidem apponitur genitivus, sensu autem ad verbum manifesto pertinet.

---

[1]) de lingua Taciti p. 15.

Sed ut ad Tacitum veniam, is plane contraria ratione rursus rem instituit. Multo enim saepius (id quod Livius nondum videtur ausus esse) genitivum finalem verbis solis adicit, quamquam aliquoties nomina apposuit, ad quae ipsa genitivus referri possit; haec autem nomina eiusmodi sunt, ut grammaticae praeceptis genitivum sibi postulare possint, non sensu, qui verbum potius petit; e. g. Ann. 3, 27, 1 ‚multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae‘ et ib. 4 sqq. ‚leges dissensione ordinum et apiscendi inlicitos honores aut pellendi claros viros latae sunt‘. Cetera exempla etiam longius a veterum consuetudine abhorrent; sunt fere haec: Hist. 4, 25, 12 ‚tum e seditiosis unum vinciri iubet, magis usurpandi iuris, quam quia unius culpa foret‘. ib. 42, 5 ‚accusationem subisse iuvenis admodum, nec depellendi periculi, sed in spem potentiae videbatur‘. Ann. 3, 7, 2 ‚erectis omnium animis petendae e Pisone ultionis‘; ubi Halmius Freinsheimium secutus vocem ‚spe‘ sententiae inseruit, non recte, ut ex eis, quae exposui, cognitum esse confido. [1]) ib. 9, 5 ‚ab Narnia, vitandae suspicionis an quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi devectus‘. ib. 41, 8 ‚pugnam pro Romanis ciens, ostentandae, ut ferebat, virtutis‘. 6, 30, 3 ‚pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis ceperant‘. 13, 11, 8 ‚quas Seneca, testificando quam honesta praeciperet, vel iactandi ingenii, voce principis vulgabat‘. At inter ea quoque sunt, quae substantivis utantur, fortasse aliquis dicet. Sane. Sed substantiva illa quidni huc faciant, cum adeo verbis coaluerint, ut coniuncta demum certam notionem efficiant, quae ad verbi naturam multo magis inclinet quam ad substantivi? Quodsi quis miratur non

---

[1]) Nam quod Wolffius l. l. p. 17 sq. statuit genitivum ‚petendae ultionis‘ esse obiectivum atque pendere e substantivo ‚animis‘, id nisi quaesita explicatione substantivi ‚animis‘ assequi non potest.

omnibus locis modo enumeratis meminisse me emendationum a viris doctis factarum, ab eo veniam peto; longum enim erat atque inutile. Praeterea neque viros doctos sententia semper sibi constitisse opinor, neque emendationes ab eis factas codicum ratione habita esse admittendas, praesertim cum satis dilucide ostendisse mihi videar, e Taciti ingenio atque indole quam maxime esse genitivum gerundii finalem. — Restat, ut agam de notabili quadam proprietate stili Tacitini, qua alii scriptores careant; dico genitivum gerundivi ellipsis vice ita functum, ut infinitivi notionem recipiat. Hic apud Livium omnino non occurrit; nam Liv. 5, 14, 2 ‚quos praetereundi verecundiam crederent fore', quod Draegerus [1]) huc trahit, Kuehnastius [2]) iure ita interpretatur, ut genitivum ‚praetereundi' obiectiva esse potestate putet. Atque etiam apud Tacitum in ultimis demum Annalium libris genitivus ille admittitur: Ann. 13, 26, 14 ‚nec grave manu missis per idem obsequium retinendi libertatem'. 15, 5, 8 ‚Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi'. ib. 21, 6 ‚maneat provincialibus (‚ius' addidit Halmius) potentiam suam tali modo ostentandi'. Quae paullo insolentiora esse vel inde cernas, quod Halmius, alias quam cautissimus in recipiendis coniecturis, uno hoc loco Ad. Schmidtium secutus substantivum in textu posuit contra codicum auctoritatem; valde igitur equidem miror, quod non ceteros duos locos eadem ratione sanavit[3]) (id quod alii fecerunt); neque enim hi quidquam aliud significant quam ille. At mea quidem sententia nihil prorsus est, cur codicum auctoritas spernatur: immo, ut Nipperdeius, quocum consentit fere Draegerus [4]), ad Ann. 13, 26 quam verisimillime exponit, genitivus

[1]) de synt. et st. T. § 204.

[2]) de synt. Liv. p. 257.

[3]) ‚onus' quidem, quod in ed. III. 13, 26, 14 addiderat, in ed. IV. rursus delevit.

[4]) l. supra l.

ille notioni alicui substantivae, quae cogitatione addatur, subiciendus e Graecorum more videtur fictus esse. Illi enim genitivum adiungere solent articulo neutrius generis, id quod totum in linguam Latinam, quippe cui desit articulus, recipi non potuit. Ergo, siqidem Tacitus etiam in genitivo gerundivi finali vi instructo veterum usui adversatus est, non dubitabimus comprobare genitivum gerundii pro mero infinitivo positum. Accedit, quod substantivorum verbalium vice fungi semper fere videtur, quae lingua repugnante effingi non potuerunt a scriptore. Eo autem magis genitivum comprobabimus, quod cum in codicibus exstat, tum eius vestigia, tametsi tenuia, apud priores quoque scriptores inveniuntur, velut b. Hisp. 30 ‚ut transeundi superius iter vehementer esset periculosum' [1]), atque etiam in Cicerone, ad Brutum 1, 4 ‚neu semper primi cuiusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur'; quo tamen loco gerundivum substantivo ‚causa' multum adiuvatur. Falso autem Draegerus [2]) locum Velleianum huiusmodi esse arbitratur, nam manifesto ibi pendet genitivus e substantivo ‚mos'. — Sed haec hactenus de brevitate dicendi; in alia enim brachylogiae genera, velut zeugma, vehementer doleo inquirere me non potuisse, destitutum libellis quibusdam maxime necessariis.

Iam transeundum est ad aliam Latini sermonis proprietatem, quae non nihil confert ad cognoscenda scriptorum ingenia; copiam verborum dico. Quam, cum brevitati adhuc tractatae prorsus contraria sit, plane alia ratione acceptam fuisse utrique scriptori confestim unusquisque concludet. Neque errabit hac in ratio-

---

1) quae Wolffius l. l. p. 15 exponit de substantivo ‚itinere' ad genitivum gerundii applicato, ea nihil faciunt ad rem; nam vocabula ‚superius iter' obiectiva quadam vi instructa ad genitivum ‚transeundi' pertinent, ' quod ipse Wolffius significare videtur, cum dicit ‚vgl. ausserdem die Wendung ‚iter ire'.'

2) l. l. (Vell. 2, 128, 1: ‚neque novus hic mos . . est putandi'.)

cinatione. Nam praecipue illam Livius, Cicerone potissimum auctore usus, colit atque diligit, praesertim qui non ita longe discedere ab optimorum scriptorum more et consuetudine sibi constituerit. Atque copiam orationis tantopere sui iuris fecit, ut lactea Livii ubertas ab omnibus artis oratoriae peritis summis laudibus efferretur.[1]) Aliter Tacitus egit. Cuius gravi atque tristi animo laetus ille iucundusque sermonis ornatus minime placebat; itaque ad hunc, quamvis multa Livio debuerit, raro aggressus est Tacitus, ita tamen sibi temperans, ut neque unquam rhetorices praecepta omnibus probata laeserit neque orationem aridam aut egenam effecerit. Dilucida fiet res, si ad singula veniemus. Tres igitur sunt figurae, de quibus hic agere in animo nobis est, anaphora, pleonasmus, polysyndeton; initium autem faciamus ab.

Anaphora.

Et primum quidem quaerendum est de vi ac potestate anaphorae, quae nostris temporibus haud parvam dubitationem viris doctis excitavit Ceteri igitur veteres grammatici cum nihil fere utile tradant, Cornificio contenti simus oportet, qui eam figuram tum fieri censet,[2]) cum continenter ab uno eodemque verbo in rebus similibus et diversis principia sumantur. Cui definitioni, quae quidem aliquanto angustius coercenda est, omnes fere huius temporis viri docti assentiuntur; quamobrem necessarium non videtur, quae quisque statuerit, enarrare. Unus Naegelsbachius plane novam atque ad id tempus inauditam definitionem protulit. Existimat vir doctissimus ad id tempus multo artiore sensu intellectam fuisse anaphoram, quae re vera non tam ad unum verbum, quod initio complurium deinceps sententiarum repetatur, quam ad verborum seriem referenda sit; id enim maxime

---

[1]) cf. quae in praef. de hac re dixi.

[2]) cf. IV, 13, 19.

interesse, in una vel pluribus sententiis singula verba, eaque ne pari quidem grammatica notione semper praedita, ita collocari, ut aliud alii quam accuratissime respondeat.[1]) Sensit quidem ipse offendi posse nova illa definitione; adnotat enim[2]) multos fortasse improbaturos esse, quod anaphoram illam appellaverit, atque dicturos eiusmodi proprietatem a plerisque concinnitatem appellari. Eis respondet concinnitatem, quae chiasmo quoque efficiatur, pro genere esse habendam, cuius species duae sint chiasmus et anaphora. Quae opinio, si leviter tantum advertimus, verisimillima videri potest. Tamen multo magis laudanda sunt, quae Ianus[3]) contra adfert. Qui quidem probat concinnitatis nomen ita usurpatae, ut Naegelsbachius vult, sed vehementer reprehendit Naegelsbachium, quod novam a se propositam figuram vocaverit anaphoram. Anaphoram enim proprie significare, quod nos dicamus ‚Anhebung, Aufschwung', itaque initio tantum sententiarum convenire atque epiphorae quae dicatur figurae oppositam esse; praeterea eandem postulare, ut unum idemque verbum initio complurium sententiarum vel incisorum repetatur. Contra Naegelsbachium nihil aliud velle nisi ea enuntiati membra, quae logice sibi respondeant, ita comparata esse, ut ordine quoque sibi respondeant. Itaque nihil prorsus esse, cur dicendi propietas eiusmodi anaphora appelletur, immo si quod nomen eligere voluisset Naegelsbachius, eligendum fuisse, quod nos dicimus ‚Parallelstellung'. Quae a viro docto optime disputata esse nusquisque, opinor, facile sibi persuadebit. Naegelsbachio igitur praetermisso nos tuebimur anaphorae notionem et veteribus et nostris grammaticis acceptam. —

Quid autem efficiat haec figura, nova exsistit quaestio. Primum igitur dubium non est, quin rhetorico orationis

---

1) cf. eius stilisticam, ed. V, § 166, 168, 1.

2) ib. § 168, 5.

3) Blätter f. bair. Gymnasialwesen, III, p. 272 sq.

ornatui quam maxime inserviat; id etiam inde perspicitur, quod ab oratoribus et scriptoribus rhetorici stili studiosis saepissime anaphora adhibita est,[1]) velut a Cicerone, Quintiliano, Livio. Deinde veterum opinione orationis gravitatem atque acrimoniam auget; est enim eiusdem verbi cum vi quadam iteratio et crebrior etiam repetitio, quae vice omissae copulae plerumque fungatur.[2]) Quamobrem ne Tacitum quidem, eximiae scriptorem gravitatis atque ponderis, quod aptissimo nomine ,τὸ σεμνόν' dici potest,[3]) illa abstinuisse non mirabimur, quamvis consentaneum sit tum potissimum ea scriptorem esse delectatum, cum oratoris similis incederet, ut Boetticherus censet.[4]) Quam regulam libenter viro docto concedimus, quamquam paullum laedi videtur a Tacito in Annalibus, id quod infra videbimus. Sed priusquam in medias res eamus, necesse est statuere, qua ratione in singula genera optime diducatur anaphora; neque potest negari maxime idoneam videri eam rationem, quae apud Draegerum inveniatur, praesertim nobis, non modo copiam, verum etiam gravitatem verborum intuentibus. Ille enim[5]) tria genera distinguit, quorum primum fiat vocabulo formali, alterum nomine, tertium verbo repetito. Liquet autem levissima cum vi repeti vocabulum formale, maiore cum gravitate nomen, summo pondere verbum. Ceterum ad perspicuitatem melius videtur pro nomine dicere substantivum vel adiectivum. — Nunc igitur usum Livianum inspicere possemus, nisi antea notandum esset Kuehnastium quoque virum clarissimum in errores quosdam incidisse; primum cum anaphoram eandem quam Naegels-

---

1) cf. Boetticherum in prologg. ad Tac. p. 91.

2) cf. Boett. l. l. p. 90

3) cf. Plin. ep. II, 11.

4) cf. l. l. p. 91.

5) de synt. et st. Tac. § 240. Quid Gerberus et Greefius in lexico Taciteo de ea iudicaverint, dicere non possum, cum liber ille praesto mihi non fuerit.

bachius intellegeret, deinde cum diceret Naegelsbachium eius usum proferre etiam ad repetitionem eiusdem vocabuli sententiarum initio factam, quod insolenter factum Ianum ostendisse.[1]) At ostendit Ianus insolenter statutam esse eam figurae vim, quae in aequabili totius verborum seriei collocatione sit; quam ipsam probavit Kuehnastius Naegelsbachio auctore. Sed hunc errorem satis est notavisse; ceterum Kuehnastius usu tritam figurae notionem non reicit, appellat autem iterationem. Neque vero de nominibus disceptamus, transimus ad rem.

Ac statim multo maiore cum studio atque amore anaphoram Livium amplecti quam Tacitum facillime apparebit, cum singulas quasdam partes ex eorum operibus selectas inter se contulerimus. Quam ad rem perficiendam cum librum primum Historiarum Faciti eligere vellemus, quibus primum ad res scribendas vere aggressus est (ut de Agricola taceamus, qui quo spectet, viri doctissimi etiamnunc dubitant): hoc non fecimus, quia Livii liber primus, saecula conditae urbis prima cum mythis fabulisque multis referens, artem poeticam nimis redolet. Praetulimus librum alterum Livii, Taciti Historiarum alterum, qui rerum enarratione magis inter se consentiant; continet enim hic bella potissimum cum finitimis gentibus gesta primaque liberae rei publicae instituta, ille bellum Othonianorum Vitellianorumque, initia belli Flaviani, statum civitatis a Vitellio administratae. Deprehendis igitur anaphoram

in Livio 2, 1, 8 ‚omnia — omnia'. 2, 6 ‚regium — regium'. ib. ‚id — id'. 3, 3 ‚ubi — ubi'. ib. ‚esse — esse'. ib. 5 ‚reddita belli — reddita belli'. 5, 1 ‚vetuere — vetuere'. 9, 3 ‚nihil — nihil'. 12, 11 ‚nullam — nullum'. 23, 5 ‚unde — unde'. 24, 2 ‚patres — patres'. 32, 9 ‚suum — suus'. ib. ‚sua — suo'. 34, 9 ‚cur — cur'. 35,1 ‚nisi — nisi'. ib. 2 ‚se — se'. ib. 5 ‚unum — unum'. 38, 3 ‚vestras — vestros'. 44, 9 ‚suos — sua'. 45, 1 ‚suas — sua'. ib. 5

---

[1]) de synt. Liv. p. 327.

nolle‘. ib. ,non — non‘. 46,3 iam — iam.‘ ib. 7 ,ut — ut‘. 49, 1 ,in — in‘. ib. 4 ,omnes — omnes‘. ib. 5 ,ire — ire‘. ib. 6 ,omnia — omnes‘. ib. 7 ,quidquid — quidquid‘. 51, 4 ,non — non‘. 53, 3 ,duo — duae‘. 54, 2 ,nihil — nihil‘. ib. 6 ,si — si‘. 55, 7 ,adeste — adeste‘. 56, 13 ,sine — sine. 59, 10 ,ubi — ubi‘. 61, 3 ,plenus — plenus‘. ib. 5 ,non‘ ter positum. ib. 6 ,idem — eadem — idem‘;

contra in Taciti Hist. 2, 5, 16 ,per — per‘. 6, 13 penes — penes‘. 12, 17 ,non — non‘. 21, 17 ,utrimque — utrimque‘. 38, 13 ,eadem — eadem — eaedem‘. 44, 8 ,non — non‘. 47, 1 ,hunc — hanc‘. 48, 14 ,satis — satis‘. 56, 4 ,non — non‘. 75, 7 ,sic — sic‘. 76, 24 ,nullis — nulla‘. 79, 8 ,non — non‘. 80, 1 ,dum — dum‘. 91, 8 ,in theatro ut spectator, in circo ut fautor‘. 93, 2 ,non — non‘. 99, 5 ,non — non‘. — Quae si veloci tantum oculo percurreris, Livio et frequentissimam fuisse figuram videbis et uno eodemque capite saepius adhibitam, Tacito cum multo rarius usurpatam, tum ne semel quidem uno eodemque capite iteratam. Porro Livius nihil fere dubitat adiectiva, substantiva, verba repetere, cf. supra 2, 2, 6. 3, 5. 5, 1. 24, 2. 45, 5. 55, 7. 61, 3; Tacitus talia in libro altero Historiarum omnino non admisit, alibi perraro. Testimonio sint ea exempla, quae perlectis Historiis atque Annalibus repperi: Hist. 1, 50, 14 ,mansisse — mansisse — mansuram fuisse‘. 78, 4 ,nova — nova‘. 2, 33, 6 ,adesse — adfore‘. 3, 66, 22 ,moriendum — moriendum‘. Ann. 1, 10, 22 ,gravis — gravis‘. 42, 12 ,divus — divus‘. 2, 77, 11 ,est — est‘. 4, 74, 6 ,aram — aram‘. 5, 4, 16 ,novas — nova‘. 6, 26, 5 ,grave — grave‘. 28, 22 ,par — par‘. — Sin autem in eis libris, quos supra contulimus, non acquieveris, sed in opera post aliquod temporis spatium scripta inquisiveris, velut in Livii decadem tertiam, qua gravissimum illud a Romanis gestum bellum descripsit, stilo iam adulto florentique excellens: cum illis libris quod compares, apud Tacitum non facile

invenias; nam hic tum tanto caret argumento, tum ne uno quidem libro tam copiose quam Livius res bello gestas solas narrare satis habuit, sed domesticarum quoque semper mentionem fecit. Tamen breviores quaedam utriusque operis particulae tam accurate sibi respondent, ut eis uti quam commodissime possimus. Ita e. c. comparata sunt Livii 21, 38—59, quibus capitibus, quae gesta sint ab Hannibale post transitum Alpium a. a. Chr. n. 218, descripsit; Taciti Ann. 1, 55 — 71, quibus capitibus descripsit, quae a Germanico contra Germanos a. p. Chr. n. 15 gesta sint. Ubi Livianae anaphorae haec inveniuntur exempla: ‚cum — cum' 21, 40, 10. ‚qui' ter positum 41, 9. ‚hic — hic' 43, 10. cum quibus — cum quibus' 44, 5. ‚sua — suus' ib. 8. ‚quem — quem' 53, 3. ‚haec — haec' ib. 6. ‚dum' ter positum ib. 9. ‚non — non' 54, 8. ‚quod — quod' 55, 2. ‚duobus — duobus' 57, 2. ‚quos — quas' ib. ‚multi — multa' 58, 11. — Sequuntur Tacitina: Ann. 1, 61, 10 ‚ut — ut'. ib. 16 ‚ubi — ubi'. 62, 3 ‚ut — ut'. 65, 27 ‚non — non'. 67, 8 ‚quae — quae'. 69, 14 ‚quam — quam'. 70, 17 ‚sine — sine'. — Hinc primum intellegi potest dimidio fere rarius quam apud Livium anaphoram occurrere apud Tacitum, deinde ab utroque scriptore in libris posterioribus vix aliter eam usurpari atque in prioribus, quamquam paullum crebrescat in Taciti Annalibus, si Historiarum usus recordemur.[1]) Hoc autem non minima ex parte eo videtur confici, quod in Annalibus strictior fit atque artior, gravior ac nervosior scriptoris oratio; nam gravitatem quoque orationis, ut supra iam diximus, auget confirmatque anaphora. Cui opinioni convenit operam anaphorae dare Tacitum in simplici potissimum narratione; orationum enim et earum obliquarum brevissimarumque tres tantum loci sunt, orationis directae ne unus quidem.

---

[1]) qua re, quae Wolffius contra Woelfflinum disputavit, aliquantum adiuvantur, cf. quae in adn. pp. 27 de hac re dixi.

Contra Livius anaphoram orationibus, eisque directis, saepius immiscuit; qua re splendorem ac copiam verborum maxime videtur respexisse. Omino Tacitus illis capitibus, de quibus modo egimus, multo parcius Livio orationes inseruit, et quas habet, eae cum brevissimae sunt, tum omnes fere obliquae, una Segestis capti excepta, qua gratiam imperatoris Romani sibi conciliare studet. Prorsus autem desunt longiores illae orationes directae, quibus ante pugnam commissam imperatores militum animos erigere tentant, velut apud Livium Scipio et Hannibal ante pugnam ad Ticinum factam. Earum loco brevissime Tacitus vel exhortantes vel sententiam dicentes facit duces, videas cpp. 67 et 68; ita ut non contemnenda videantur, quae Walterus in dissertatione de Taciti studiis rhetoricis conscripta, p. 36 contendit: principem in sententiis obliquis locum deberi Tacito magisque deinceps eas prae orationibus excultas esse ab eodem per totum operum ordinem. Quamquam quae paullo ante ab eodem Waltero de orationibus narrationi interpositis proponuntur, ea meo quidem iudicio non proponi debebant, sed demonstrari. Ceterum Tacitus in ultima Annalium parte anaphoram magis magisque repudiavit, quam ne gravitatis quidem augendae causa recipere voluerit. —

Venio nunc ad

Pleonasmum.

Pleonasmi qui dicitur notione explicanda supersedere possum, opinor; notissima enim est. Pleonasmus igitur cum profluentis copiosaeque orationis proprius sit, saepissime a Livio summoque cum studio colitur et diligitur. Qua re quamquam plerumque pulcherrimus et florentissimus scriptor incedit, tamen interdum nimio ductus amore vitia quaedam non videtur vitasse [1]; certe

---

[1]) cf. praefationem nostram p. 18.

iam Quintilianus, urbanus ille atque subtilis artis oratoriae iudex, aliqua ex parte eum videtur perstrinxisse, cum dicat [1]: ,Vitanda μακρολογία, id est longior quam oportet sermo, ut apud T. Livium, ,Legati non impetrata pace retro domum, unde venerant, abierunt'. Nuperque critici e fragmento libri 91 voluerunt colligi posse, in extremis totius operis partibus etiam abundantiorem magisque supervacaneam fuisse verbositatem Livianam. Sed rectissime Weissenbornius [2]) iudicat neque fragmentum illud tam longum esse neque dicendi genere a ceteris libris adeo diversum, ut, quod coniecerint viri docti, probabile possit videri; praesertim cum aliae posteriorum librorum partes, velut ea, quae de Ciceronis ingenio atque moribus prodita etiamnunc exstent[3]), eodem prorsus dicendi genere conformatae sint ac libri priores. Atque adeo multo verisimilius est Livium, certioris iudicii factum aetate matura, in dies magis coercuisse dicendi genus, idque ut omnibus numeris absolutius perfectiusque redderet, summo opere contendisse. Sed nobis sermo est de libris, qui etiamnunc exstant.

Inter varia igitur pleonasmi genera apud Livium nullum fere crebrius est quam iunctura complurium pronominum, quae unum idemque significant, e. g. ,quisquam unus (v. 2, 9, 8. 3, 45, 4. 32, 20, 7), nemo unus, quilibet unus, nihil unum'; item adverbia temporis iunguntur, velut ,deinceps inde, deinde deinceps, deinde postea, tum inde, iam inde (cf. 3, 59, 1, ubi Madvigius iniuria ,iam iidem' posuit, recentiores codices secutus), protinus inde', atque alia adverbia vel coniunctiones, velut ,itaque ergo, ita sic, clam furtim, ex insperato repente, forte temere, undique circa, si quando unquam'. Sed haec crebriora sunt, quam quae exemplis comprobanda videantur. Interdum coniunctiones quaedam pleo-

1) inst. or. VIII, 3, 53.
2) in praef. ed. Liv. maioris, p. 64.
3) apud Senecam, suas. VI, 22.

nastice in apodosis initio ponuntur, quae fortius efferatur, e. g. ‚tum demum‘ 2, 29, 1; ‚tum deinde‘ 2, 8, 3, pro quo Weissenbornius [1] et Madvigius contra optimos libros substituerunt ‚tum demum‘; attamen quandoquidem apodosis initium capit a particulis pleonastice usurpatis, iunctura illa mira non est, si earum meminimus, quae supra dictae sunt ‚deinde postea, tum inde‘. — Sed etiam nude posita inveniuntur ‚tum‘ 21, 11, 8 ‚quae cum nudasset, tum Hannibal mittit‘; ‚inde‘ 21, 43, 1 ‚cum sic dimisisset, contione inde advocata fertur‘; ‚ibi‘ 3, 69, 3 ‚in senatum ubi ventum est, ibi vero in Quinctium omnes versi‘; 37, 34, 6, quem locum Fabri laudat [2], is non videtur huc pertinere, nam aliter ibi vox ‚ita‘ usurpatur [3]. — Vel cum protasis e coniunctione pendet, similis aliqua abundanter in apodosin infertur; e. c. 10, 18, 1 idum ea in Samnio gererentur, Romanis in Etruria ‚nterim bellum concitur‘.

Ex quibus omnibus Tacitus nihil aliud recepit nisi pronomina ‚nemo‘ et ‚unus‘ coniuncta, sed his tantum locis: Hist. 1, 82, 7 ‚neminem unum destinare irae poterant‘, Ann. 14, 45, 1 ‚ut nemo unus contra ire ausus est‘; quae pronomina Livius sex habet locis. [4] Iam vero frustra apud Tacitum requiras, quae Livius sibi sumpsit, tria vel plura eiusmodi vocabula in pleonasmum congesta, e. c. 1, 15, 8 ‚longe ante alios acceptissimus‘. ib. 28, 4 ‚si unquam ante alias ullo in bello‘. 8, 6, 14 ‚si quando unquam ullum bellum‘. 22, 61, 1 ‚iam inde antiquitus‘. 32, 5, 8 ‚si quando unquam ante alias‘.

Secundum in pleonasmo Liviano locum verba obtinent; nam haud raro proxime sibi adsciscunt alias notiones, quibuscum pleonasmum efficiant. Accidit hoc et

---

[1] in ed. maiore sextum comparata, in ed. septima a Muellero curata exstat ‚tum deinde‘.

[2] ad 21, 11, 8.

[3] cf. Weissenbornii adnotationem.

[4] cf. Draegerum de synt. et st. Taciti § 20.

adverbiis et adiectivis et substantivis, quae quam significationem habeant, nihil fere refert. Videas quae sequuntur: 9, 2, 8 ,retro via repetenda', cf. 22, 6, 7. 18, 7; etiam verbosius exemplum est 24, 20, 3 ,retro, unde venerat, Nolam rediit'. ib. 40, 9 ,Oricum retro, unde venerat, ad ceteram classem remissis'. 31, 45, 16 ,retro, unde venerant, Sciathum repetunt'. 27, 42, 16 ,Venusiam retro, quibus venerat itineribus, repetiit'. — 1, 33, 3 ,rursus bello repetitum'. 21, 52, 10 ,rursus proelium restituere'. 3, 20, 8 ,saepius dictitabat'. 21, 20, 8 ,praeoccupatos iam ante animos esse'. ib. 32, 7 ,prius praeocepta res erat'. 40, 4, 13 ,multi ante praecogitatum'. ib. 23, 6 ,iam ante praemeditati'. 9, 23, 2 ,prior praevenisset', ubi Madvigius temere e recentioribus paucis codicibus ,pervenisset' edidit. 4, 40, 3 ,obviam agmini occurrerent'. 22, 6, 4 ,se infesto venienti obviam obiecerat'. 42, 63, 10 ,quos casus obvios obtulit'. 25, 11, 15 ,intus inclusae'. — Quamvis inter ea, quae modo proposuimus, adiectiva nonnulla exstent, tamen adiectiva rarius, plerumque certa quaedam, usurpantur, cf. 9, 10, 6 ,rescriptae novae legiones'. 10, 29, 1 ,novam de integro velle instaurare pugnam'. 21, 11, 5 ,ut novum murum reficerent'. 10, 16, 6 ,spem reliquam in Etruscis restare'. 25, 3, 10 ,ementiti erant falsa naufragia'. ib. 35, 1 ,citatum agmen rapiunt'. 32, 5, 7 ,multis criminibus oneratum'. 37, 39, 8 ,triarii postremos claudebant', cf. 30, 33, 1. 37, 40, 9.— Neque ita saepe substantiva, aut sola aut cum adiectivis coniuncta, ad praedicatum referuntur, ea potissimum, in quibus notio incipiendi inest, velut ,initium ordiendae rei' praef. 12; similia sunt ,prima initia inchoare' 3, 45, 9, cf. 39, 23, 5, ,initium oritur' 1, 46, 7. — Adaptantur autem pleonastice etiam formae quaedam verbi alterius alteri verbo finito; e g. 44, 2, 5 ,profectus castra movit'. 7, 40, 16 ,nolite velle'. 22, 19, 4 ,ire pergit'. Eaedem notiones iunguntur 22, 22, 4. 53, 9.

24, 2, 2; interdum particula ‚porro' amplificatae, velut 9, 2, 8 ‚ire porro pergas', cf. 21, 22, 9.

Iam ut de Tacito videamus, is perpauca eorum, quae Livii propria sunt, praebet, nihil, quod progrediatur ultra fines consuetudinis Livianae. Et adverbiorum quidem verbis additorum ea maxime fovet, quae declarant crebro aliquid fieri, substantivorum ea, in quibus vis incipiendi inest. Sed antequam ad singula vertar, monendum mihi est, hac in re historicorum tantum Taciti librorum rationem me habuisse; Germania enim, libellus ille rhetorico ornatu splendens, pleonasmis abundat, ut Halmius luculentissime demonstravit [1]. Facile autem unusquisque, credo, concedet minimi esse librum illum in comparandis scriptoribus historicis, nam ipsum eius consilium rhetoricum esse omnes fere viri docti consentiunt; id quod sine dubio probabimus, si in memoriam revocaverimus, ne ipsum quidem Tacitum Germaniae mentionem fecisse, ‚cum, quae historicus statuisset, scribere, significaret Ag. c. 3. In libris igitur historicis haec fere exempla sunt: Ann. 12, 3, 2 ‚crebro ventitando'. 14, 52, 8 ‚crebrius factitare'. 15, 52, 3 ‚crebro ventitabat'. 11, 7, 8 ‚ante providerit', quod in libris historicis unicum huius particulae usurpatae exemplum est, cuius plura exhibeant libri minores. Particula ‚rursus' vel ‚rursum' nonnullis locis ita legitur, ut pleonastice videatur apposita, sed re vera non apposita est pleonastice. Nam rectissime J. Muellerus [2]) praedicat, particula illis locis non repetitionem sinceram indicari, sed aliquid contrarii, quod nos fere dicamus [‚hinwiederum'.] Loquantur loci ipsi: Ann. 3, 21, 13 ‚sed Tacfarinas spargit bellum, ubi instaretur, cedens ac rursum in terga remeans'. 6, 1, 6 ‚saxa rursum et solitudinem maris repetiit'. Tiberius enim, seu re vera

[1]) in locis controversis Germaniae.

[2]) in symboll. critt. II, p. 31.

Romam venire Capreis volebat, seu simulabat se venturum esse, saepe in propinqua degressus erat et hortos iuxta Tiberim sitos adierat, sed tandem pudore scelerum et libidinum commotus, rursus repetiit saxa et solitudinem maris, i. e. Capreas. 11, 17, 11 ‚ac rursus Langobardorum opibus refectus'. Italicus rex a Cheruscorum gente Roma petitus, quia superbe dominabatur, pulsus ac rursus, i. e. sed Langobardorum opibus refectus est. 12, 60, 10 ‚cum Semproniis rogationibus equester ordo in possessione iudiciorum locaretur, aut rursum (i. e. sed) Serviliae leges senatui iudicia redderent'. 15, 40, 4 ‚rediit haut levius rursum grassatus ignis', quem locum Draegerus [1]) una cum ceteris adfert, is dubitationem mihi magnam movet; nam neque incorruptus in codicibus exstat, neque satis mihi videtur constare, particula ‚rursum' utrum ad redeundi verbum an ad grassandi referenda sit. — Sequantur substantiva: Hist. 2, 72, 1 ‚acribus initiis coeptum'. ib. 79, 1 ‚initium coeptum'. 1, 39, 11 ‚initio orto', item ib. 76, 16. 3, 14, 2. ib. 44, 2. Ann. 1, 31, 10. 2, 1, 2. 15, 38, 4. — Ann. 13, 10, 5 ‚ut principium anni inciperet mense Decembri'. Similiter dicta sunt: 15, 41, 11 ‚principium incendii huius ortum'. — Cetera Tacitini pleonasmi exempla singula sunt, velut Hist. 1, 70, 8 ‚robur adventantium legionum et famam Germanici exercitus attollebant'. Adventantibus enim legionibus ipse exercitus Germanicus denotatur. Item 2, 21, 17 ‚diversae exhortationes, hinc legionum et Germanici exercitus robur, inde urbanae militiae et praetoriarum cohortium decus attollentium' legiones rursus denotant Germanicum exercitum, contra praetoriae cohortes urbanum militiam; nam vocabulum ‚militiae' abstractum esse, pro concreto positum, mihi quidem persuasum est. Huc facit primum, quod tota sententia concinnitatem prae se fert, deinde quod ea

---

[1]) de synt. et st. T. § 241.

vocabuli notio, licet alibi apud Tacitum non occurrat, tamen a Livio, quem Tacitus saepius exemplar sibi statuit, praebetur, e. c. 4, 26, 3, ad quem locum comparanda, quae Drakenborchius adnotat. Legitur quidem Hist. 3, 18, 9 ,quos militiae legionarios quamquam raptim ductos aequabant', et Boetticherus in lexico Taciteo s. v. ,abstracta' vocabulum ,militiae' nominativum pluralis esse vult, positum pro voce ,milites', sed vereor, ne non recte iudicaverit. Etenim si re vera abstractum esset pro concreto positum, necessario postularetur singularis numerus; itaque locus ille Historiarum a plerisque editoribus emendatus est, et mihi quoque maxime probanda videntur, quae e Duebneri coniectura Halmius et Heraeus receperunt ,quos multi e legionariis quamquam raptim ductos aequabant'. — Alia pleonasmi exempla apponi possunt ex Ann. 1, 77, 1 ,At theatri licentia, proximo priore anno coepta, gravius tum erupit'. 3, 63, 11 ,set cultus numinum utrisque, Dianam aut Apollinem venerandi'. 4, 25, 5 ,cito agmine rapiuntur'. 12, 31, 5 ,citas cohortes rapit'. 11, 10, 21 ,adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quis permitti Meherdaten patrium ad fastigium orabant'. — Sed nunquam fere ad tantam audaciam processit Tacitus, ut vocabula plane unum idemque exprimentia componeret; immo quam maxime evitavit tautologiam quam dicunt, exceptis tenuibus illis vestigiis, quae exemplis modo dictis impressit.

At Livius eadem minime abstinuit, immo cum saepius usus est, tum variis modis, ita ut merito possit contendi, eum magnopere esse delectatum fusiore illo uberioreque dicendi genere, etiam tum, cum sine detrimento sensus vel perspicuitatis brevius concisiusque dicere posset; sed hoc optime exempla, quae sequuntur, coarguent: 3, 54, 9 ,prima initia inchoastis'. 10, 34, 6 ,occultam in fraudem'. 25, 3, 10 ,ementiti erant falsa naufragia'. Locus qui est 34, 9, 5 ,cuius adsiduus custos

semper aliquis ex magistratibus erat' huc trahi non potest; omittitur enim in codice Bambergensi, optimo illo decadis quartae, vocabulum ,semper'. Contra summo iure huc trahuntur: 34, 57, 9 ,ad amicitiam sociali foedere inter se iungendam coeant'; item 35, 16, 8 ,uno et perpetuo tenore iuris, semper usurpato, numquam intermisso'. 39, 56, 6 ,insulam, quae non ante fuerat, novam'. 41, 8, 4 ,mentio de hostibus fuit, qui in his provinciis bellum concivissent'. ib. 23, 13 ,in medio umbilico Graeciae'. 42, 5, 10 ,Aetolorum causas hostilibus actas animis, quas intestino gesserant bello'. — Atque etiam cum praecedit verbum aliquod dicendi, ad quod referantur, quae quis loquitur, ipsi orationi directae aliud dicendi verbum inseritur; velut 7, 16, 5 verbo ,exclamat' succedit ,inquit'. Vel praemittitur substantivum, cuius vis sententia relativa apposita iterum explicatur; illud autem substantivum plerumque verbale est ac cum verbi notione tantopere coalescere solet, ut, si formam respicias, nihil aliud sit quam participium perfecti passivi, e. g. 26, 32, 6 ,a c t a M Marcelli, quae is gerens bellum victorque e g i s s e t'. Coniectura haec quidem est a Weissenbornio facta e verbis ,ctam Marcelli' Puteano exhibitis, sed simplicissima et verisimillima. [1]) Fulcitur enim iunctura illa sententiae relativae cum substantivo his aliis locis: 2, 24, 6. 35, 24, 3, ubi verbum edicendi eodem modo usurpatur, quo supra verbum agendi. Neque is locus, qui 34, 8, 5 exstat, praeteriri debet, ubi idem verbum reperiatur, quamvis ratio invertatur, ut primarium sit finitum verbum, secundarium participium, quod verbo definitionis adverbialis loco subiungatur. Haec enim leguntur: ,e d i c t o per oram maritimam, misso e d i x i t'. — Aliud substantivum est ,vox', sic exhibitum 41, 2, 7 ,una v o x audiebatur ad mare v o c a n t i u m'; 24, 22, 9 ,admonet saepe usurpatae Dionysii tyranni v o c i s, qua d i x e r i t'. —

[1]) In Spirensi hic locus omnino non exstat.

Haec habui, quae de pleonasmo disputarem. In synonyma h. l. inquirere me non potuisse valde doleo. Nuper enim viri docti magis magisque dubitare coeperunt, utrum duas notiones similes, particulis copulatas, synonyma esse iudicent an ad eam figuram revocent, quae hendiadys dicitur; quod diiudicatu haud raro difficillimum est Itaque quicunque de synonymis agere vult, facere non potest, quin de figura hendiadys disserat; huiusmodi autem dissertatio, praesertim cum synonymorum et hendiadys exempla haud ita raro obviam sint in libris Livianis et Tacitinis, longior est, quam quae ad hanc commentationem accommodetur. Restat igitur, ut ad eam figuram vertar, quae dicitur

Polysyndeton.

Polysyndeto Livius saepissime, neque vero ita varie utitur. Adamat enim maxime particulam ,et', quam non modo bis vel te,r verum etiam multo crebrius ponit; e. g. adfero: 33, 34, 9 ,Corinthus et Triphylia et Heraea reddita Achaeis,. 10, 24, 17 ,certe id et natura aequum et exemplo utile esse, et ad famam populi Romani pertinere,. ib. 26, 4 ,omnium rerum arbitrium et a populo et a senatu et ab ipso collega Fabio permissum est,. Sunt alia multa, quae enumerare piget. Quinquies ,et' invenitur e. c. 33, 18, 3 ,Galli et Pisuetae et Nisuetae et Tamiani et Trahi ex Africa et Laudiceni ex Asia erant'. Etiam notabiliora alia sunt, velut 21, 62, 2 sqq. ,ingenuum infantem semenstrem in foro olitorio triumphum clamasse, et in foro boario bovem in tertiam contignationem sua sponte escendisse atque inde tumultu habitatorum territum sese deiecisse, et navium speciem de caelo adfulsisse, et aedem Spei, quae est in foro olitorio, fulmine ictam; et Lanuvi hastam se commovisse, et corvum in aedem Iunonis devolasse atque in ipso pulvinario consedisse, et in agro Amiternino multis locis hominum specie procul candida veste visos nec

cum ullo congressos' et in Piceno lapidibus pluvisse' et Caere sortes extenuatas, et in Gallia lupum vigili gladium ex vagina raptum abstulisse'; ubi non longo abhinc tempore omnes editiones ante verba ,foro boario' praepositione ,in' carebant, quae duobus codicibus recentioribus nisa nunc in textum inlata est, iure quidem, si Woelfflinum audis.[1]) Nam quod Weissenbornius dicit[2]), praepositionem a Livio in altero membro plerumque, non semper iterari: omnibus iis locis, quos inspici iubet, alterum illud membrum nihil aliud est quam particula unius eiusdemque enuntiati, non, ut hoc loco, aliud enuntiatum ipsum. Item Weissenbornii sententia, ablativum localem attributo auctum haud raro apud Livium exstare, per se quidem vera est, neque vero huic loco apta; ubi ablativus localis si agnosceretur, is profecto obstaret linguae Latinae consuetudini, ut ostendit Woefflinus.[3]) — Similis locus, praeterquam quod describit, quae perficienda censores locaverint, est 41, 27, 5 sqq., etiamsi mutilum est codicis illud folium, quo continetur. Comparanda etiam sunt, quae 27, 10, 7 leguntur: ,Signini fuere et Norbani Saticulanique et Fregellani et Lucerini et Venusini et Brundisini et Hadriani et Firmani et Ariminenses, et ab altero mari Pontiani et Paestani et Cosani, et mediterranei Beneventani et Aesernini et Spoletini et Placentini et Cremonenses'; quae, quamvis desint in codicibus verba ,et Venusini et Brundisini,' tamen satis multas particulas praebent. Atque exempla a nobis proposita qui obiter tantum animadvertit, eum non fugit, opinor, pleraque aut ad nomina populorum vel terrarum aut ad prodigia spectare; in quibus potissimum e Woelfflini sententia Livianum polysyndeton versatur. Praeterea particulae ,et' scriptor

---

1) Liv. Kritik u. liv. Sprachgebrauch p. 12.
2) in adnot. ad h. l.
3) l. l. p. 13.

plerumque operam dat, sicut iam supra diximus, neque tamen respuit alias copulativas, velut ‚que' vel ‚atque'; sed semper eis minores res indicantur, maiores particula ‚et'; cf. 22, 1, 8 sqq. ib. 9, 10. 21, 62, 8. Neque adeo implicatus est Livius uno eodemque dicendi genere, ut non interdum variatione delectatus aut alternis particulas modo dictas usurpet aut partim asyndeton, partim polysyndeton; attamen ea est variatio, ut raro tantum ac tamquam invitus in eam videatur descendisse. Cf. 6, 16, 2 ‚Iuppiter, inquit, optime maxime Iunoque regina ac Minerva ceterique dii deaeque'.

Locus qui exstat 27, 10, 7 in variationis exemplis duci vix poterit, cum semel tantum ‚que' coniunctio interrumpat coniunctionis ‚et' repetitionem. Eiusdem fere modi est 33, 30, 3 ‚Euromo Pedasisque et Bargyliis et Iaso et Myrina et Abydo et Thaso et Perintho'. Cave enim arbitreris vocula ‚que' urbes in eadem regione sitas, quae ab aliis separentur, significari; nam et Euromus et Pedasa et Bargyliae et Iasus in Caria erant sitae. Itaque duo haec exempla e neglegentia quadam scriptoris orta esse atque etiam confirmare legem supra latam securus credas. Aliud dici vix poterit de eis, quae exstant 32, 29, 1 et 45, 16, 5; duobus enim his locis particula ‚et' semper coniunguntur singula membra, semel coniunctione destituuntur. Sed clarior variatio est atque aequabilior 28, 11, 2, ubi quinque membra ἀσυνδέτως pronuntiata praecedunt, sequuntur quinque membra coniunctione ‚et' inter se cohaerentia. Longe autem a ceteris abhorrent, quae 24, 10, 6 leguntur; locum igitur appono: ‚Lanuvi in aede intus Sospitae Iunonis corvos nidum fecisse; in Apulia palmam viridem arsisse; Mantuae stagnum effusum Mincio amni cruentum visum; et Calibus creta et Romae in foro boario sanguine pluvisse; et in vico Insteio fontem sub terram fluxisse; tacta de caelo atrium publicum in Capitolio, aedem in campo Vulcani, nucem in Sabinis, publicamque viam murum ac

portam Gabiis'. Atque in merum asyndeton raro Livius processit, velut 30, 2, 9. 31, 12, 5. Denique mutatam esse vel excultam eius consuetudinem, animadvertere non poterit, quicunque priores libros cum posterioribus contulerit.

Sed haec de Livio sufficiant, transeamus ad Tacitum. Qui cum universe minime favet huic orationis figurae, tum, quae eius exempla habet, ea in prioribus potissimum libris occurrunt, magis magisque evanescunt in Annalibus. [1]) Et optime hoc convenit scriptoris ingenio: iuvenis enim rhetorico ornatu, quo etiamtum oblectaretur, orationem amplificare veritus non est [2]); at natu maior, cum non tam ad alia exemplaria stilum suum aptaret, quam in dies magis proprium suique similem reddere studeret atque intellexisset, quid scriptorem severum durissimisque temporibus eruditum maxime deceret, reppulit omnem non modo supervacaneam, verum etiam abundantem orationem. Primum igitur polysyndeton, ubi invenitur, particula ,et', qua saepius efficiatur, tamen minime continetur, immo alias quoque, velut ,atque' et ,neque' sibi conciliat, id quod ex exemplis, quae sequuntur, patebit: Dial. 10, 26 ,in forum et ad causas et ad vera proelia voco'. 18, 11 ,sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero, Cicerone mitior Corvinus et dulcior et in verbis magis elaboratus'; cf. ib. 21 et 37, 38. Ag. 45, 1 ,obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes'. G. 8, 2 ,constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captivitate'. 26, 9 ,hiems et ver et aestas'; cf. 32, 7. 40, 16. Ann 1, 41, 7 ,pudor inde et miseratio et patris Agrippae, Augusti avi memoria'. -- Quattuor membris constat

---

[1]) Itaque hic etiam Dialogum putavi in censum esse vocandum.

[2]) cf. quae viri docti hac de re tradiderunt, velut Woelfflinus in Philol. 25. 121 sqq., Halmius in locis controversis Germaniae, Nipperdeius in praefatione Annalium p. 39 sqq.

polysyndeton: Dial. 1, 5 ,causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores'. 25, 12 ,proximum locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus optinent'. 38, 3 sqq. ,nemo perorare cogebatur et liberae comperendinationes erant et modum dicendi sibi quisque sumebat et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur'. ib. 18 ,longa temporum quies et continuum populi otium et assidua senatus tranquillitas et maxime principis disciplina'. 39, 17 ,cum clientelae quoque ac tribus ac municipiorum etiam legationes ac pars Italiae periclitantibus adsisteret'. — Neque desunt coniunctionum saepius repetitarum exempla, velut Dial. 18, 5 ,sunt enim horridi et impoliti et rudes et informes et quos utinam . . .' Alia eiusmodi reperiuntur 19, 11. 25, 15. 37, 11. 39, 21. Ag. 37, 13 ,passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus; et aliquando etiam victis ira virtusque' lectio codicum non videtur probanda. Verbis enim ,et aliquando etiam victis ira virtusque' non continuatur fugae cladisque Britannorum descriptio[1]), sed contrarium aliquid manifesto additur; nam primum enuntiati membrum fugam clademque Britannorum describit, alterum res nonnullas ab illis ipsis fortiter gestas. Itaque particula ,et' inepta est; quod cum intellexerit Halmius, ad h. l. adnotat fortasse substituendum esse ,set'. Equidem autem proposuerim ,at'; nam contrarium ut vehementius aliquanto indicetur, totius enuntiati sensus postulat, et cum ter ,et' praecessisset, id etiam quarto loco perperam scribere facile potuit librarius. Permirum exemplum, sed unicum Historiarum 4, 53, 16 exstat: ,simul ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna pars populi traxere'. Praeterea memoratu digna sunt: Dial. 17, 4 ,Ciceronem et Caesarem et Caelium et Calvum et Brutum et Asinium et Messallam'. Germ. 40, 3 ,Reudigni deinde et Aviones et Anglii et Varini et Eu-

---

[1]) sicut Kritzius explicat, cf. eius adnot. ad h. l. (ed. alt.)

doses et Suardones et Nuitones'. Dial. 38, 13 ,neque Ciceronis neque Caesaris neque Bruti neque Caelii neque Calvi, non denique ullius magni oratoris'. Qui locus optime docere nos potest, quemadmodum Tacitus fines polysyndeti longius prolataverit: nam variationem prae se fert. Id enim potissimum Taciti est, quae alii scriptores per polysyndeton enumerare solent atque ipse in minoribus libris πολυσυνδέτως nonnunquam enumeravit, ea in libris re vera historicis aut variis coniunctionibus aut asyndeto adhibito enumerare.[1]) Quae supra attulimus Ann. 1, 41, 7 et Hist. 4, 53, 16, repugnare ea quidem videantur illi regulae, sed non repugnant; etenim cum exemplum ex Historiis desumptum unicum est, tum illud, quod in peculiarissimo Annalium opere invenitur, tribuendum est polysyndeti levissimo generi, cuius etiam plura proferri possunt, velut Ann. 3, 3, 6 ,Agrippinam et Drusum et Claudium'. ib. 11, 6 ,M'. Lepidus et L. Piso et Livineius'. 15, 57, 14 ,Lucanus quoque et Senecio et Quintianus'. — Sin autem quaeritur, quas ad notiones maxime pertineat polysyndeton Tacitinum, eas quoque differe a Livianis monendum est. Apud Livium maximi momenti prodigia erant vel nomina terrarum et gentium; quorum illa πολυσυνδέτως iuncta in Taciti operibus frustra anquiras, haec reperias quidem, sed vix maiore studio arrepta quam alia. Etiamsi igitur Tacitus ipse certas quasdam iuncturas prae ceteris dilexit, velut nomina principum per particulas copulativas conexa, tamen nunquam alias nimis coluit, alias repressit. Et si quid singulare de eo constituere volumus, id tantum dicere possumus, generaliorem a Tacito redditam esse consuetudinem Livianam, ita ut omnino nomina propria amplectatur. — Sed ut ad singula veniam, supra iam significavi a Tacito in enumerando multo saepius

[1]) Quod si probatur, contra Wolffium facit, cf. adnot. meam p. 27.

asyndeton usurpari quam polysyndeton, neque ita raro ipsum polysyndeton, si usurpetur, cum variatione quadam exhiberi; quod nunc altius perspiciamus. Atque asyndeton Tacitinum notissimum est multisque virorum doctorum commentationibus tractatum; quamobrem pauca eius exempla promere satis sit: Hist. 3, 73, 11 ‚inter quos maxime insignes Cornelius Martialis, Aemilius Pacensis, Casperius Niger, Didius Scaeva‘. Ann. 1, 10, 19 ‚interfectos Romae Varrones, Egnatios, Iulos‘. 3, 11, 4 ‚L. Arruntium, P. Vinicium, Asinium Gallum, Aeserninum Marcellum, Sex. Pompeium patronos petenti‘. 6, 47, 8 ‚conectebantur ut conscii et adulteri eius Cn. Domitius, Vibius Marsus, L. Arruntius‘. 12, 62, 5 ‚missas posthac copias in Antiochum, Persen, Aristonicum‘. 15, 50, 3 ‚adgregavere Claudium Senecionem, Cervarium Proculum, Vulcatium Araricum, Iulium Augurinum, Munatium Gratum, Antonium Natalem, Marcium Festum‘.— Minus constat de variatione particularum, quae in polysyndeto fit; in quo primum particulae ‚et‘ et ‚atque‘ nullo significationis discrimine adhiberi solent, v. hos locos: Hist. 1, 70, 11 ‚Mediolanum ac Novariam et Eporediam et Vercellas‘. ib. 76, 2 ‚Delmatiae ac Pannoniae et Moesiae legiones‘. 2, 82, 17 ‚pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen ac nihil arduum fatis‘. 3, 66, 14 ‚Primus ac Fuscus et specimen partium Mucianus‘. 4, 73, 18 ‚libido atque avaritia et mutandae sedis amor‘. Ann. 4, 26, 11 ‚regemque et socium atque amicum appellaret‘. 6, 12, 14 ‚per Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias‘. 15, 71, 13 ‚Novio Prisco per amicitiam Senecae et Glitio Gallo atque Annio Pollioni‘. — Deinde ‚et‘ ac ‚que‘ eadem ratione se excipiunt; cf. Hist. 1, 70, 14 ‚praemissis Gallorum Lusitanorumque et Britannorum cohortibus‘. 3, 30, 10 ‚illi trabibus tegulisque et facibus propugnatores deturbant‘. ib. 59, 4 ‚erectus Samnis Paelignusque et Marsi‘. ib. 70, 14 ‚iam Hispaniis Germaniisque et Britannia desci-

scentibus'. 4, 17, 20 ,Suria Asiaque et suetus regibus Oriens'. ib. 25, 8 ,per Gallias Britanniamque et Hispanias auxilia orabat'. 5, 2, 12 ,proprias urbes Hebraeasque terras et propiora Suriae'. Ann. 1, 54, 4 ,Tiberius Drususque et Claudius et Germanicus'. 2, 60, 15 ,Suri Armeniique et contigui Cappadoces'. 3, 18, 10 ,Tiberio et Augustae et Antoniae et Agrippinae Drusoque'. 6, 41, 10 ,Nicephorium et Anthemusiada ceterasque urbes.. Halumque et Artemitam'. 16, 10, 1 ,L. Vetus socrusque eius Sextia et Pollitta filia'. — Neque repudiat Tacitus ,ac' et ,que' particulas, quod perspici potest ex Ann. 6, 9, 17 ,Pollionis ac Viniciani Scaurique causam'; pari autem vi eas h. l. dictas esse ex praecedentibus clarissime elucet, omnes enim illi viri pariter maiestatis postulati erant. Qui locus ea quoque re notabilis est, quod ea coniunctio, quae plerumque artiore quodam nexu notiones comprehendere solet, ad diversas hic refertur, quamquam Viniciano, Pollionis filio, facillime poterat adiungi. — Denique omnes tres coniunctiones copulativae inveniuntur; e. c. Hist. 2, 4, 20 ,auxilia utrique cohortium alarumque et classes regesque ac nomen dispari fama celebre'. Quo loco Spitta [1]) nihil aliud nisi variationem particularum ,et' et ,atque' agnoscere vult; non recte, ut mihi quidem videtur. Fac enim cohortes alasque artius cohaerentes voci ,auxilia' subiungi, tamen in sequentibus classes a regibus prorsus separandae sunt, nam classes Romanae sunt, reges exterarum gentium [2]). Neque accurate Spitta observavit, cum eandem in partem traheret [3]) exemplum, quod exstat Ann. 2, 60, 13 ,regem Rhamsen Libya Aethiopia Medisque et Persis et Bactriano ac Scytha potitum quasque terras Suri . . . colunt'. Quae composita

---

[1]) de Taciti in componendis enuntiatis ratione, p. 97.
[2]) cf. Heraei adnot. ad h. l.
[3]) l. l.

esse ex asyndeto et polysyndeto variis particulis effecto, vix dignum est, quod commemorem. Fugisse autem videtur Spittam, hanc dicendi proprietatem compluribus locis Tacito acceptam esse, quorum nonnullos appono: Ann. 11, 24, 6 ,neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, et ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque et omni Italia in senatum accitos', ubi Nipperdeii emendatio ,ascitos' supervacanea videtur; nam qui accitur, etiam ascitur in senatum. Praeterea ex regionibus ab urbe aliquanto remotioribus accitur potius quam ascitur aliquis. ib. 35, 13 ,Titium Proculum, custodem a Silio Messalinae datum et indicium offerentem, Vettium Valentem confessum et Pompeium Urbicum ac Saufeium Trogum'. 14, 26, 12 ,mille legionarii, tres sociorum cohortes duaeque equitum alae, et quo facilius novum regnum tueretur, pars Armeniae, ut cuique finitima, Pharasmani Polemonique et Aristobulo atque Antiocho parere iussae sunt'; ubi Halmius iniuria ,partes' scripsit pro vocabulo ,pars'. [1]) — Qua ex re colligitur non solum polysyndeto scriptorem indulsisse, quod variis fieret particulis, sed etiam ad tantum variationis studium processisse, ut polysyndeton illud asyndeto miscere, praesertim in scriptis posterioribus, non dubitaret [2]). —

Quae cum ita sint, nemo, opinor, negabit multo maiore audacia quam Livium ad polysyndeton accessisse Tacitum, quippe qui liber sit solutusque multis illis et artis usus Liviani terminis. Neque vero hac in re brevitatis tam studiosus fuit quam variationis, quae ipsa in sermone Tacitino recte diiudicando haud parvi est aestimanda. Iam igitur via nobis patet, qua ad alias proprietates transeamus, stili variationem etiam clarius subtiliusque exprimentes. Atque ante omnia referenda huc est

---

[1]) cf. Nipperdeii adnot. ad h. l.

[2]) quod Wolffii sententiae rursus repugnat, cf. adnot. meam p. 27.

Allitteratio.

Erunt sane qui mirentur in allitterationem hoc loco me incidisse: primo enim obtutu quis dicere potest variationi orationis inservire allitterationem? Sed facile omnibus me comprobaturum esse spero, quod ita distinxi; nam ea ipsa figura, qua aequabilitatem potius vel nimiam quandam similitudinem atque neglegentiam sermonis indicari arbitreris, quam clarissime inlustratur variandi illud studium, quo Tacitus imbutus est. Discrepat autem hac in re non mediocriter a Livio. Sed ne obliviscar alius figurae simillimae, una cum allitteratione a Draegero[1]) commemoratae: ne adnominatio quidem, quae Graecis est παρονομασία, nisi paucis locis apud Tacitum in usu est, velut Agr. 42, 18 ,famam fatumque provocabat'. Neque id abhorret a Taciti ingenio aut moribus; spernit enim gratiam orationis, quae ex Quintiliani testimonio[2]) adnominatione efficitur. Quamquam Quintilianus quidem aliquanto artiorem huic figurae notionem tribui vult, eam intellegens, qua nomina mutatis casibus repetantur. Draegerus vero nihil aliud nisi soni similitudinem postulare videtur origine verborum nihil respecta. Eiusmodi autem figuram aperte rhetorici cuiusdam lusus esse, facile est perspectu; et, quod exemplum Draegerus e Tacito adfert, Ann. 12, 18, 6 ,igitur cultu vultuque quam maxime ad praesentem fortunam comparato', id cum prorsus fortuitum esse possit: malui Kuehnastium sequi, qui figuram illam ita comparatam vult,[3]) ut continuentur verba, quae eadem ex origine derivata, forma inter se similia sint. Quae dicendi consuetudo apud Livium tam late patet, ut saepe inveniantur notiones forma ipsa in unum fere redeuntes nec diversae nisi casu vel genere, velut ,bella ex bellis' 2, 18, 10 et saepius; ,vir virum'

[1]) de synt. et st. T. § 245.
[2]) inst. or. IX, 3, 80.
[3]) de synt. Liv. p. 330.

10, 38, 12 et saepius; ,regios regias' 24, 25, 6; ,tribunus tribunum, centurio centurionem, eques equitem, pedes peditem' 27, 46 1; ,legionibus legiones', ,sed vir unus cum viro' 38, 17, 8; ,vim vi' ib. 38, 16. — Paullo magis alia inter se discrepant; e. g. 1, 48, 2 ,regis regni'. 9, 38, 3 ,occidione occidi'. 26, 48, 11 ,sine modo ac modestia.' 28, 41, 13 ,quae acciderunt, accidere possunt'. Ceterum Livius ne talium quidem vocabulorum iunctura vacat, quorum alteri alterum sono tantum simile fiat, velut 5, 26, 5 ,partim artis, partim arduis viis.' 8, 38, 13 ,sese praeda praepediant'. 39, 49, 7 ,ut non pro vano modo, sed vix pro sano nuntius audiretur'. — Sed ne longius progrediar, iam ad allitterationem revertor. Illam cum Kuehnastius vir doctissimus in earum figurarum numero habeat[1]), quibus varietas orationi tribuatur, manifesto varietatem illam eo constare vult, quod vel simplici narratione scriptor utatur vel variis orationis ornamentis, velut figuris, tropis, aliis. Huius varietatis allitterationem esse rectissime iudicari potest. Sed tum quid Tacito faciamus, qui omnino ad figuras raro descenderit, rarissime ad eas, quae rhetoricam redoleant? Itaque varietas ea, quam Kuehnastius intellegit, ad Tacitum nihil pertinet; immo is varietatem, quae melius dicitur variatio[2]), multo ampliore sensu intellectam ipsa allitteratione sublata nonnunquam videtur petivisse. — Et ut hoc loco ab usu simpliciore ordiar, Tacitus allitterationem cum moderatione usurpavit, eo maxime consilio, ne oratio omni rhetorico cultu ornatuque nudata frigeat. Attamen rursus in minoribus potissimum scriptis illi se dedit, quam in maioribus magis magisque evitavit, ita ut interdum pro vocabulo aliquo, quod certo exspectares, aliud quoddam longe repetitum substituat, modo ne ad allitterationem deferatur[3]); velut Ann. 1, 42, 1 ,non mihi

---

1) l. l. p. 324 sqq.

2) cf. Woelfflinum in Philol. vol. 25, p. 121.

3) quae res Wolffii sententiae adversatur, cf. adnot. meam p. 27.

uxor aut filius patre et re publica cariores sunt'. Ibi enim scriptum crederes, quod simplicissimum erat, ,patre et patria'; quod ipsum alias in eiusmodi iuncturis posuit Tacitus, cf. Germ. 31, 6 ,dignosque patria ac parentibus'. Hist. 5, 17, 11 ,coniugum parentum patriae memores'. Ann. 1, 59, 19 ,si patriam parentes antiqua mallent'. Sed loco supra dicto aliud substantivum data opera quaesivit, ne nimio eiusdem figurae usu legentes offenderet; tantopere stilo variando studebat. Neque vero tam putidus in variatione fuit, ut non, ubi linguae consuetudo vel sententia verborum posceret, in vocabulis allitteratione ornatis acquiesceret, in ipsis Annalibus. Tamen eiusmodi notiones, sicut Woelfflinus acutissime observavit[1]), ita tantum iunguntur, ut synonymorum vel antithetorum vel supplementi vice functae firmiore quodam vinculo cohibeantur. Quae autem addit vir clarissimus: ,oder wenn die verbundenen Begriffe sonst wie ein festes Verhältnis eingehen', ea tam ambigue dicuntur, ut nihil inde fructus percipere possimus. Ut igitur exemplis res inlustretur, synonyma ,inauditus et indefensus' Dialogi potissimum sunt atque Historiarum, v. Dial. 16, 14. Hist. 1, 6, 6. 2, 10, 12. Eadem Ann. 2, 77, 10 inveniuntur in oratione, qua Domitius Celer Pisoni, cuius scelere Germanicus credebatur mortuus esse, reditum in Syriam commendat. In Germania notanda sunt: 10, 10 ,avium voces volatusque.' 14, 17 ,sudore adquirere quod possis sanguine parare'. 27, 6 ,lamenta ac lacrimas', quae in libris posterioribus evitantur. Item componuntur ,poena' et ,paenitentia' Agr. 19, 10; Hist. 5, 25, 17; Ann. 1, 45, 5. Sed quae Annalium propria sunt, ea aliquoties in Historiis occurrunt, nunquam fere in minoribus libris; e. g. ,superbia' et ,saevitia' Hist. 3, 31, 22. ib. 77, 17 (,superbe saeveque'). Ann. 1, 72, 17. 3, 40, 11. 4, 68, 17. 6, 31, 3. ,vox' et ,vultus' Hist. 1, 45, 6.

---

[1]) in Philol. vol. 26, p. 100.

3, 58, 15. Ann. 3, 67, 8. 15, 55. 19. 16, 29, 2. ‚verba' et ‚vultus' Ann. 1, 7, 26. 2, 28, 7. 12, 36, 14. 15, 61, 11. ‚flagitia' et ‚facinora' Ann. 3, 50, 5. 6, 6, 5. — Videmus igitur usum Tacitinum in libris prioribus expressum satis diligenter separandum esse ab eo, qui in libris posterioribus expressus est; praeterea duobus vocabulis coniunctis satis habuisse Tacitum neque protulisse alitterationem in totius sententiae ambitum exempla testificantur a me modo allata. Denique si quid levius in censum vocamus, quascunque notiones in allitteratione adhibuit, eas semper fere varia quadam ratione continuavit scriptor, ut aut diversis locis singula nomina collocaret aut diversis particulis copularet. —

Iam ut ad Livium vertar, ne is quidem abstinuit eis iuncturis, quae in Tacitinam quadrent consuetudinem; saepe enim eam exhibet allitterationem, quae ad notionum similitudinem spectat, cf. Weissenbornium ad 6, 22, 7, ubi in textu haec leguntur: vegetum ingenium in vivido pectore vigebat, virebatque'. Comparanda etiam sunt, quae praef. 12 exstant: ‚desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia'. 2, 48, 2 ‚sanguine ac sudore'. ib. 49, 6 ‚ire fortes, ire felices'. 9, 27, 4 ‚Campanos campos'. 10, 19, 2 ‚abeunti Volumnio obsistere, obtestari'. 21, 41, 10 ‚cum indignatione quadam atque ira'. 28, 2, 6 ‚gladiis geri res coepta est'. 38, 38, 17 ‚iure ac iudicio'. 41, 22, 4 ‚ius iudiciumque'. — Vel significatur allitteratione contrarium, velut 21, 24, 4 ‚hospitem enim se Galliae, non hostem advenisse'; quae vocabula saepius ita iunguntur.[1]) Longius autem Livius progreditur allitteratione usus in oratione grandi atque sollemni, teste Weissenbornio[2]); e. g. 1, 16, 3 ‚deinde a paucis initio facto deum deo natum, regem parentemque urbis Romanae salvere universi Romulum

---

[1]) cf. Fabri ad h. l.

[2]) in adnot. ad 1, 16, 3.

iubent; pacem precibus exposcunt, uti volens propitius suam semper sospitet progeniem'. cf. ib. 12, 5 ,hinc saltem arce hostes . . fugamque foedam siste'. Alia eiusmodi habes 5, 51, 10 ,foedus ac fidem fefellerunt'. 22, 10, 2 ,salvam servaverit hisce duellis, tum donum duit'. Ex quo loco, quamvis depravato in codicibus, certum est allitterationem tolli non posse, ne audacissima quidem facta coniectura. — Ex his exemplis intellexeris, opinor, esse, quae minime contineantur duobus verbis, sed ad quamlibet verborum seriem porrigantur. Id etiam de iis statuendum est, quae sequuntur; huc accedit, quod eadem neque grandi oratione neque notionum similitudine commendantur, sed ornatus rhetorici solius causa allitterationem atsciverunt. Videas 2, 6, 10 ,varia victoria et velut aequo Marte'. ib. 48, 3 ,aspernati patres sunt; questi quoque quidam'. 3, 17, 10 ,inserentesque se in circulos sermones tempori aptos serere', ubi littera ,s' saepius in fine quoque verborum offertur. 5, 10, 9 ,diutino dominorum desiderio domi'. Verum haec ne quis credat primae tantum decadis esse scriptorisque nondum sibi constantis, comparet quaeso quae leguntur 21, 41, 10 ,velut si servos videatis vestros'. 23, 19, 8 ,farre . . convecto cum complura dolia complesset'. 29, 36, 12 ,quae publicari poterant, pigneranda poenae praebebant'. — Quin etiam amplificari allitteratio videtur in posterioribus libris; cf. 32, 29, 1 ,priusquam consules praetoresque in provincias proficiscerentur, prodigia procurari placuit'. 33, 42, 3 ,quod ultimam pensionem pecuniae in bellum collatae persolvi placuerat privatis'. 38, 21, 11 ,in rabiem et pudorem tam parvae perimentis versi pestis prosternunt corpora humi'. — Sed ut finem faciamus quaestionis de allitteratione institutae, in memoriam revocemus orationem, quam Falisci legati in senatu Romano habuerunt, Falerios dedituri. Ea enim, quamvis brevis sit, tamen allitterationibus abundat, cuius initio multa deinceps vocabula a ,v' littera

incipiant, sub finem aliae allitterationes litteris ‚q' et ‚p' effectae interponantur; v. 5, 27, 12 sqq. — Ceterum adnotandum est haud raro vitiosam fieri allitteratione nimis adamata Livii orationem, quae non iam ornata neque splendens incedat, sed malo litterarum saepius repetitarum sono legentium aures offendat.

Qua oblata occasione facere non possum, quin pauca addam de alio quodam dicendi generis vitio, quod variatione accuratius observata facile tolli potuit. Inquiramus igitur in

Homoeoteleuton

quod vocant grammatici. Fit illud quidem, ut hoc quoque attingam, tum, cum pares vel similes verborum exitus iuxta componuntur; id quod neuter scriptor cunctatus est exhibere. Et si Nipperdeium[1]) audis, primum tria verba in eandem syllabam exeuntia crebro componuntur a Tacito, etiam in Annalibus; velut Hist. 1, 6, 13 ‚opprimendis Vindicis coeptis'. 3, 21, 13 ‚praetorianum vexillum proximum'. 4, 17, 22 ‚caeso Quintilio Varo'. Ann. 1, 5, 4 ‚uno Fabio Maximo'. ib. 11 ‚properis matris litteris'. ib. 11, 12 ‚quibus unus metus'. ib. 16, 2 ‚nullis novis causis'. ib. 17, 1 ‚aliis seditionis ministris'. 3, 6, 8 ‚amissa unica filia'. ib. 55, 1 ‚Auditis Caesaris litteris'. 12, 47, 1 ‚in amplexus eius effusus'. 13, 8, 7 ‚locus virtutibus patefactus'. ib. 31, 1 ‚pauca memoria digna.' ib. 46, 14 ‚summa fortuna digna'. ib. 47, 6 ‚celebris nocturnis inlecebris'. 14, 36, 10 ‚parta victoria cuncta'. In sequentibus enim cum Nipperdeio lectionem traditam servo: ‚ipsis cessura'; Halmius secundum Doederleinium edidit ‚ipsa iis cessura', sed vereor, ut pronomen ‚ipsa' ad adiectivum ‚cuncta' referri possit. ib. 13 ‚certus eventus Suetonius'. 15, 8, 1 ‚satis firmatis hibernaculis'. ib. 37, 17 ‚in modum sollemnium coniugi-

[1]) in adnot. ad Ann. 1, 24.

orum'. 16, 8, 11 ,circa summa scelera'. Aliquanto levius est homoeoteleuton, ubi iis verbis contingit, quorum syllabae finales elisione intercidere possunt; e. c. Hist. 2, 12, 2 ,usque ad initium maritimarum Alpium'. 4, 17, 25 ,proprium hominum bonum'. Ann. 1, 2, 12. ,illum rerum statum abnuebant'. — Deinde in plura vocabula patescit haec figura, velut Ann. 15, 37, 6 ,superpositum convivium navium aliarum'. ib. 40, 4 ,ignis patulis magis urbis locis'. 16, 3, 8 ,non falsa antea somnia sua'. In Dialogo notari potest 5, 6, ubi habes syllabam ,um' in fine septem deinceps verborum usurpatam: ,Saleium Bassum, cum optimum virum, tum absolutissimum poetam; tamen hic locus interpungendo et elisione levatur. —

Ab illis duobus generibus non ita longe Livius discedit, nisi eo, quod primum de vocabulorum numero nihil sibi constituit, deinde quod tum, cum elisio oritur, data opera interdum homoeoteleuton videtur quaesivisse. Inspiciantur haec exempla: 1, 14, 7 ,modico praesidio relicto'. 23, 48, 8 ,ipsum tributum conferentium numerum'. Sic cum Madvigio lego; nam quod traditur ,eum ipsum', id ab hoc loco alienum est, neque aliter iudicari potest de aliis vocibus supplementi causa additis, velut ,tum' vel ,iam'. 22, 39, 11 ,omnia circa plena'. 25, 31, 7 ,circa moenia Syracusana terra marique'. 33, 10, 2 ,omnia circa iuga'. 40, 52, 6 ,ea pugna pugnata'. 44, 9, 4 ,omnium gentium circum'. — Venio nunc ad elisionem. Quo cave referas, quae 1, 14, 7 leguntur[1]); neque enim ullo modo probari possunt, cf. Weissenbornium[2]). Qui quamquam de hoc loco optime disputavit, tamen melius egisset, si de syllabis dissonis nihil statuisset; nam ab

---

[1]) ,circa densa obsita virgulta'.

[2]) in adnot. ad h. l. Ceterum in editione novissima H. J. Muellerus scripsit ,locis circa densa virgulta obscuris', facillima et aptissima emendatione. Nunc igitur hoc quoque loco elisio agnosci potest.

eis Livium minime deterreri hi loci illo ipso ,circa' vocabulo exornati ostendunt: 21, 36, 4 ,per invia circa nec trita antea'. 27, 15, 15 ,quieta omnia circa'. 29, 31, 10 ,infesta omnia circa'. Ut autem vocabula in litteram ,a' cadentia illam adverbii formam sibi adiungere solent, ita quae in litteram ,m' cadunt, formam ,circum' adsciscunt; e. c. 24, 10, 10 ,speciesque hominum circum eam cum candida veste visas esse'. 28, 5, 10 ,omnem circum urbem agrum depopulatum'. 44, 9, 4 ,omnium gentium circum'. 25, 16, 21 ,paludamento circa laevum brachium intorto' dubitari potest, utrum ,circa' an ,circum' scribendum sit; hoc enim ad analogiam aptum videtur, illud in codice Puteano legitur. Atque equidem cum Puteano faciam; neque enim ea regula tollitur, cui unus locus, quamvis optimo codice fulciatur, obstet. Alia, quae elisionem coarguant, reperiuntur 2, 15, 7 ,exulatum ad generum Mamilium Octavium Tusculum abiit'. 28, 41, 6 ,magis paratam quam speratam gloriam amplecteris'. — Praeterea, ut Woelfflinus [1]) summo iure explicat, Livius consulto ad homoeoteleuton videtur aggressus esse, cum aut sola soni similitudine adnominationem quandam efficere voluit aut duo enuntiati membra sensu pari pronuntiata pari vi instruere. Testimonio sint haec exempla: 22, 30, 4 ,o n e r a t u s sum magis quam h o n o r a t u s'. 39, 49, 7 ,ut non p r o v a n o modo, sed vix p r o s a n o nuntius audiretur'. 40, 52, 6 ,classis regis Antiochi a n t e a i n v i c t a f u s a, c o n t u s a f u g a t a q u e est', ubi adnominatio praecipue conspicitur; alias enim verba ,fundere et fugare' proxime coniungi solent. — 2, 29, 9 ,l a s c i v i r e magis plebem quam s a e v i r e'. 7, 40, 4 ,g l o r i a m, non v i c t o r i a m'. 9, 2, 15 ,quando nec c o n s i l i o nec a u x i l i o locus esset'. 27, 4, 6 ,regem nec i n i m i c i o r e m ulli populo quam Carthaginiensi nec a m i c i o r e m quam

---

[1]) Liv. Krit. u. liv. Sprachgebr. p. 16.

Romano‘. ib. 6, 18 ‚neque senatum legerunt neque quicquam publicae rei egerunt‘. ib. 45, 11 ‚nec absistere ab signis nec subsistere‘, ubi cur Weissenbornius ‚abire‘ scripserit, non intellego. Ceterum quamquam animadverti, saepius verba in pares syllabas desinentia se non ita excipere, ut proxime alterum alteri succedat, tamen ea in homoeoteleutis ducere non dubitavi; nam soni similitudo maior est, quam quae fortuita esse possit. — Sed homoeoteleuton, quod Livius aliis locis de industria quaesivisse videtur, aliis diligentissime cavit; de qua re cf. Woelfflinum [1]). Neque vero tanta diligentia usus est, ut non interdum homoeoteleuto implicatus sit tali, quale gravi vitio ei vertendum est, cum sono malo legentium aures nimis offendat. Eiusmodi hi loci sunt: 2, 48, 2 ‚priusquam quisquam‘. 4, 7, 3 ‚magistratus eius ius‘. 5, 24, 6 ‚magnificentia publicorum privatorumque tectorum ac locorum‘. ib. 46, 3 ‚neglegens gens est‘. 9, 9, 1 ‚profanos nos, quod‘, ubi codex Parisinus, quem Madvigius sequitur, ‚quos‘ habet, Mediceus ‚quod‘. 32, 20, 6 ‚priusquam quicquam‘. Quae omnia fere sunt primae decadis, in posterioribus libris videntur deesse.

Scio equidem hoc loco mentionem inici potuisse anacoluthiae quoque, praesertim quae a Livio summopere colatur et diligatur, spernatur tota fere a Tacito. Sed timui, ne longior fieret eiusmodi quaestio; itaque anacoluthiam praetermittere malui.

---

[1]) l. l. pp. 6 et 16.

Theses.

1. Thucydidem immerito a civibus in exsilium expulsum esse censeo.

2. Hor. epist. I, 15, 11 sqq. ita scripserim:

‚Quo tendis? Non mihi Cumas
Est iter ant Baias‘ laeva stomachosus habena
Dicet eques; *quod* equi frenato est auris in ore);

Vita.

Paulus Petzke natus sum a. d. XIV. Kalendas Februarias a. h. s. LIII. Berolini patre Leopoldo, quem adhuc superstitem veneror, matre Agnes e gente Voigt, quam abhinc iam undetriginta annos morte ereptam esse doleo. Fidem profiteor evangelicam. Prima elementa a patre ipso didici, tum gymnasio reali quod vocant traditus, decem annos natus transii ad gymnasium Leucadium egregium rectore Bellermanno v. cl. Anno h. s. LXX. auspiciis Bonitzii viri doctissimi, cui maximam gratiam et debeo et habeo, maturitatis testimonio ornatus atque numero civium universitatis Berolinensis adscriptus per quattuor semestria Hauptio, Kirchhoffio, Huebnero vv. cl. praeceptoribus usus, Lipsiam me contuli, ubi per sex menses scholis philologicis et philosophicis G. Curtii, Zarnckii, Drobischii virorum doctissimorum diligenter interfui. Postquam Berolinum redii, maiorem in dies operam consumpsi in veterum litteris cognoscendis, Huebneri v. cl. potissimum consilio adiutus, qui per tria semestria ad societatem suam philologicam aditum benigne mihi permisit. Neque vero aliarum disciplinarum oblitus scholas audivi virorum doctissimorum Mommsen, Droysen, Kiepert, Zeller, Harms, Bellermann. Itaque cum examen pro facultate docendi Berolini sustinuissem, ibidem in gymnasio Coloniensi primum candidatus probandus, tum hypodidascalus litterarum pueros docere coepi. Post aliquod temporis spatium in gymnasium Sedinense reale quod dicunt hypodidascalus litterarum vocatus ibique per biennium hoc munere functus, auctumno anni h. s. LXXXII scholae puellarum superioris quae vocatur Graudentiensis magister litteratus creatus sum.

Omnibus autem illis viris illustrissimis, quibus auctoribus in litterarum studium incubui, gratias ago quam maximas.